Diss. Strassburg
1886
R. Stehle.

DE

TIBULLO

PURI SERMONIS POETICI CULTORE.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTORATENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

RODERICUS STEHLE

SIGMARINGENSIS.

ARGENTORATI

APUD R. SCHULTZ & COMP.

MDCCCLXXXVI.

FRATRI CARISSIMO.

Ut pueri, qui prima pingendi experimenta faciunt, quam maxime multicoloribus pigmentis obductis delectantur, ita poetis Romanis, cum inde fere a medio saeculo a. Chr. n. tertio Graeca carmina latinis versibus imitando exprimere conarentur, copia verborum ex diversissimis loquendi generibus conquisita placebat. Itaque sive tragoediae conponebantur sive comoediae, sive epicum carmen sive multifariam mixtum illud poesis genus, cui saturarum nomen inditum est, per omnes has species poeticas, quamquam non uno eodemque stilo utebantur prisci scriptores Romani, tamen neque multa neque primo aspectu perspicua discrimina inter varias illas species intercedere voluerunt. Quod cum dudum animadversum est ab hominibus doctis tum nuper sollerter demonstravit Henricus Ploen in libello ‚de copiae verborum differentiis inter varia poesis Romanae antiquioris genera intercedentibus', qui insertus est ‚dissertationum philologicarum Argentoratensium' volumini VII (a. 1882). Nam quamvis exigua tragicae et epicae et satiricae poesis priscae frustula ad nostra usque tempora servata sint, ideoque de multorum vocabulorum usu statui nequeat, in quot poesis generibus eis usi sint prisci poetae, neque pauca ex eis vocabulis, quae in indicibus singulorum poesis generum a Ploenio confectis uni tantummodo vel duobus generibus adscripta sunt, quin olim etiam in uno alterove ceterorum poesis generum usurpata sint, dubitandum non sit: tamen si quis cum iudicio Ploenianos illos verborum indices perlustraverit, differentias illas, quae inter tragicam epicamque et comicam satiricamque dictionem priscis temporibus intercesserint, multo minores esse intellexerit quam ea discrimina, quibus et apud Graecos et apud eos poetas Romanos, qui inde fere a Catulli Lucretiique temporibus carmina conposuerunt, singula poesis genera inter se distare notum est. Neque vero omnes poetae, qui primis illis saeculis scripserunt, pari negle-

gentia supersederunt aliis poesis generibus alia dicendi genera adaptare; verum quo magis vulgi plausum adpetebant poetae, eo neglegentius contrarios orationis colores consociarunt, eo audacius multicolori illo tamquam tegmentorum flore delectati sunt, eo minus certam normam secuti sunt in seligenda verborum copia; contra ei poetae prisci, qui, cum a partibus nobilium accuratius graecissantibus scriptoribus faventium starent, paucis hominibus Attica elegantia imbutis placere studebant, veluti Ennius, carmina ita videntur perpolivisse, ut paulo accuratius quam populares illi poetae fines inter singulorum poesis generum dictionem regerent.

Rem universam si spectaveris, nullum ex eis poetis, qui ante Catullum Lucretiumque floruerunt, id consulto adsecutum esse mecum consenties, ut singulis poesis generibus certum quoddam et a ceteris diversum genus dicendi attribueretur. Haec opera fere tota praestita est ab eis demum poetis Romanis, qui Caesaris et Augusti temporibus in Graecis poematis imitandis operam collocarunt et Alexandrinorum poetarum artem vel potius artificia adaequare et, si fieri posset, superare nitebantur. Et profecto mira quadam pertinacia inde a Catullo usque ad Ovidium optimi quique, qui ‚doctorum' poetarum nomine ornari gestiebant, id appetiverunt, ut et numeri versuum suavissime fluerent et mythologiae Graecanicae apparatus in carminibus latinis exaugeretur et vere poeticum colorem indueret oratio. Non per paucorum annorum spatium eam elegantiam adepta est dictio poetica, qua Ovidiana carmina excellunt, sed sensim pedetemptimque et tamquam per conplures gradus progressa est dictio ad perfectionem. Nec secus prosam orationem apud Romanos per multos gradus ad illam provectam esse formam, quam in Caesare et Cicerone admiramur, in propatulo est. Ut autem prosae orationis purgandae strenuissimus auctor fuit Caesar, ita in poetica dictione purganda nescio an nemo pertinacior, prudentior, felicior fuerit quam Albius Tibullus.

Sane Tibulli elegiarum dictio purior est quam ceterorum poetarum, qui Caesaris vel Augusti aetate scripserunt. Atque quoniam ei, qui certo alicui litterarum generi certum aliquod dicendi genus adsignaturus est, necessario delectus quidam verborum ita instituendus est, ut permultas locutiones tamquam supervacaneas et superfluas omnino reiciat, ne eadem sententia

plus una locutione exprimatur, Tibullus hanc severissimam sectatus est normam, ut ad purum et a vulgari eloquio remotissimum sermonem poeticum efficiendum tamquam furca expelleret omnia ea vocabula, quae sexcentiens quidem non tantum in vulgi ore, sed etiam in scriptorum libris circumferebantur, attamen ideo supervacanea Tibullo videbantur, quia nullam aliam sententiam exprimebant quam eam, quae alio quoque et quod magis urbanum elegantiusve videretur vocabulo ab urbanis et exquisitiore doctrina imbutis hominibus exprimi solebat. Itaque si *numerum* eorum, quae omnino apud Tibullum obviam fiunt, vocabulorum conputaveris, pauperiorem eius copiam verborum esse intelleges quam reliquorum poetarum; conpensatur tamen haec quae facile paupertas videatur prudenti illa ratione, qua Tibullus et varias, quibus non pauca vocabula ab aliis usurpabantur, significationes multo artioribus finibus circumscripsit et omnia ea, quae rusticitatem quandam sapere viderentur, removit.

Nec male hanc artificiose adquisitam orationis simplicitatem praedicavit Ludolphus Dissen in ‚Disquisitionibus de vita et poesi Tibulli' pag. CLXXXVI his usus verbis:

‚Vides etiam apud Tibullum rariores quasdam constructiones esse, ut facile fit apud eos, qui ingenium habent; sed nihil est harum rerum audacius et iusto longius petitum, aut obscurum et contortum, nihil quod revera recedat ab illa tersa puritate, simplicitate et perspicuitate, quam semper laudarunt in Tibullo; nitet ubique inaffectata elegantia, et agnoscimus versatum artificem, qui quae sentit magna cum facilitate eloquitur recte, clare, pulchre, et vere classicus dici meretur.'

Quod supra dixi artioribus finibus a Tibullo tamquam circumscriptum esse singulorum vocabulorum territorium, id nullo luculentius exemplo demonstrari posse confido, quam *verborum conpositorum* usu, de quibus quae collatis inprimis *Catullo, Propertio, Ovidii* Epistulis, Amoribus, Arte Amatoria, Remediis Amoris, nonnullis ex Tristium libris cum Tibulliana arte observavi, hac commentatione conprehendam. Locos vero scriptorum Pseudotibullianorum ut vulgo appellantur his ( ) uncis inclusi, quo facilius a genuinis Tibulli carminibus secerni possent.

Jam vero quaestiones meas institui eas, ut tria potissimum capita secernenda esse existimarem, quorum quidem capitum in primo ea verba illustrabo, quae apud Tibullum nisi proprio sensu

non adhibita nobis occurrunt; altero ea, quorum translatus tantum usus extat, tertio ea explicabo verba, quibus promiscue uti Tibullo placuit. Atque quo magis eluceat quae differentia elocutionis intersit inter Tibullum et reliquos quos enumeravi poetas, ita rem tractandam adgressus sum, ut eas significationes, quas a Tibulliana elocutione diversas illi verbo alicui conposito attribuebant et Tibullus cum supervacaneas esse existimaret removebat, adscribendo adderem, illiusque dictionem, quantum fieri potuit, adicerem.

Videbimus autem elocutionem Tibullianam prorsus alienam esse a ceterorum. Jam mihi si licet id quod ex ea quidem quam perscrutatus sum materia profeci una conprehensione conplecti haec habeo quae proferam:

Atque primum quidem translatum verborum sensum a Tibullo in angustum conclusum esse apparebit; itaque longe plurima verba sic adhibita sunt, ut propriam servent vim (vide cap. I pag. 9—49). Deinde quae verba ille sensu tantum translato usurpavit ita usurpata inveniemus, ut uni significationi inserviant: veluti ‚abeo' apud Tibullum nihil significat nisi ‚evanesco'; ‚evenio' omnibus quibus ab illo usurpatur (quattuor) locis idem valet quod germanicum «in Erfüllung gehen, eintreffen» (vide cap II p. 50—62.) Postremum idem dici potest de eis verbis, quibus Tibullus promiscue — et proprio et translato sensu — utitur; velut ‚contingo' proprie apud illum significat tango, translate id quod nos dicimus «zu teil werden»; ‚refero' proprie ‚retro fero vel reporto', translate ‚narro vel dico' (vide cap. III p. 62—74).

Necessario autem omisi ea verba, quae a Tibullo solo adhibita sunt et ea, quorum usus apud omnes quos supra dixi poetas unus idemque est.

Restat ut breviter dicam, quas editiones secutus sim; in versibus Catulli, Tibulli, Propertii adscribendis Hauptii editionem quartam ab Johanne Vahleno curatam a. 1879 pro fundamento operis habendam esse existimavi. Ovidii editione usus sum ea, quam edidit Alexander Riese a. 1871.

Litterae singulares, quibus Tibulli codices significavi, hae sunt:

A = codex Ambrosianus saec. XIV.
V = codex Vaticanus saec. XIV.
G = codex Guelferbytanus saec. XV.

De codicibus ipsis et ab Aemilio Baehrensio in praefatione, quam editioni Tibulli praemisit, et ab Eduardo Hillero, qui Tibulli elegias nuper edidit, satis dictum est.

Caput I.

Jam primo loco de eis verbis conpositis disseram, quibus Tibullus non utitur nisi ita, ut propriam servent significationem.

abluo: proprie: ‚aqua purgo'; sic dicitur a Tib. II, 5, 60

qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.

adde Prop. III, 19, 26

qua formosa suo Clitumnus flumina luco
integit et niveos abluit unda boves.

cum veteres putarent scelera commissa maris vel fluminis aqua expiari, abluo est ‚me purgo, expio'; hac translata verbi significatione utitur

Cat. 88, 6

ecqui scis quantum suscipiat sceleris?
suscipit, o Gelli, quantum non ultima Thethys
nec genitor nympharum abluit Oceanus.

abundo: proprio sensu dicitur de aquis, quae alveum superantes super ripas effunduntur:

Tib. I, 7, 22

qualis et, arentes cum findit Sirius agros,
fertilis aestiva Nilus abundet aqua?

transfertur etiam ad alias res ita, ut significet idem quod nos dicimus «Ueberfluss an etwas haben»:

Ov. her. 15, 250

illa viris dives, dives abundat equis.

art. II, 552

barbaria noster abundat amor.

accendo: proprie ‚ignem admoveo ad aliquid conburendum‘:
Tib. II, 5, 90

ille levis stipulae solemnis potus acervos
accendet

adde (Tib. IV, 2, 6)

illius ex oculis, cum vult exurere divos,
accendit geminas lampadas acer Amor.

Prop. III, 32, 9

cum videt accensis devotam currere taedis
in nemus

translato sensu significat ‚inflammo, excito‘, diciturque de quovis animi motu:
Prop. I, 20, 45

cuius ut accensae dryades candore puellae
miratae solitos destituere choros.

Ov. rem. 133

quin etiam accendas vitia inritesque vetando

addo: proprie idem exprimit quod ‚adicio, adpono‘:
Tib. I, 2, 1

Adde merum

II, 4, 42

nec quisquam flammae sedulus addat aquam.

adde (Tib. III, 6, 62)

tu puer, i, liquidum fortius adde merum

Prop. III, 12, 5

idem non frustra ventosas addidit alas

Ov. her. 4, 123

addidit et fratres ex me tibi.

translato sensu:
Cat. 23, 18

hanc ad munditiem adde mundiorem

Prop. IV, 1, 15

multi, Roma, tuas laudes annalibus addent

Ov. her. 4, 175

addimus his precibus lacrimas quoque

apud Tibullum simplex ‚do‘ adhibitum invenimus: II, 4, 29

hic dat avaritiae causas

admoveo: proprie est ‚movendo iuxta pono‘:
Tib. II, 3, 56

illi sint comites fusci, quos India torret
Solis et admotis inficit ignis equis.

adde Cat. 14, 26

Si qui forte mearum ineptiarum
lectores eritis manusque vestras
non horrebitis admovere nobis

Prop. IV, 3, 5

parvaque tam magnis admoram fontibus ora

Ov. am. I, 14, 30

erudit admotas ipse capillus acus.

translate eodem fere sensu:
Ov. her. 11, 17

quid iuvat admotam per avorum nomina caelo
inter cognatos posse referre Jovem?

ibid. 43

a! nimium vivax admotis restitit infans
artibus

attingo: proprie est ‚tango aliquid aliqua re‘:
Tib. I, 6, 53

attigerit, labentur opes

adde Prop. I, 9, 29

qui non ante patet, donec manus attigit ossa.

Cat. 22, 15

simul poemata attigit

Ov. her. 5, 67

fit propior terrasque cita ratis attigit aura

translate a Propertio ita dicitur, ut significet ‚frui aliqua re‘: I, 19, 9

sed cupidus falsis attingere gaudia palmis

quo sensu Tibullus verbo ‚adeundi‘ utitur: I, 5, 39

saepe aliam tenui: sed iam cum gaudia adirem

colligo: 1) proprie significat ‚in unum redigo‘:
Tib. I, 8, 14

ansaque conpressos colligit arta pedes

adde (Tib. III, 2, 19)

et primum annoso spargent collecta Lyaeo

(Tib. IV, 2, 19, sq.)

et quascumque niger rubro de litore gemmas
proximus eois colligit Jndus aquis.

Cat. 14, 19

Caesios, Aquinos,
Suffenum omnia colligam venena.

Prop. IV, 9, 29

. . ., et in tenues humilem te colligis umbras

Ov. her. 6, 90

certaque de tepidis colligit ossa rogis.

2) translate variis usurpatur significationibus; dicitur enim pro ‚deduco, concludo‘:

Ov. her. 11, 88

(nam potes ex animo colligere ipse tuo)

id. am. II, 6, 61

colligor ex ipso dominae placuisse sepulchro.

vel significat ‚conparo, acquiro‘:

Prop. III, 14, 9

quanta ego praeterita collegi gaudia nocte

Ov. am. I, 8, 75

mox recipe, ut nullum patiendi colligat usum

id. art. II, 339

dum novus errat amor, vires sibi colligat usu

apud Tibullum ad eandem sententiam exprimendam adhibitum invenimus ‚pario‘:

I, 6, 27

saepe mero somnum peperi tibi sq.

ib. 7, 9

non sine me est tibi partus honos

ib. II, 4, 40

eripiant partas ventus et ignis opes

‚colligere mentem‘ (hoc est: dissipatas animi partes rursus in suum locum cogere, ut explicat Cic. Tusc. 4, 36, 78) Ov. am. I, 14, 55

collige cum vultu mentem!

condo: 1) proprie est ‚abscondo, repono servandi causa‘:

Tib. I, 1, 42

non ego divitias patrum fructusque requiro,
quos tulit antiquo condita messis avo

ib. 10, 47

pax aluit vites et sucos condidit uvae

adde Prop. IV, 7, 72

ante fores dominae condar oportet iners.

Ov. am. I, 10, 18

quo pretium condas, non habet ille sinum.

latiore vero significatione idem est ac ‚constituo, fundo‘:

Tib. II, 5, 50

Albaque ab Ascanio condita longa duce.

adde Prop. IV, 11, 65

haec di condiderant, haec di quoque moenia servant

Ov. her. 7, 19

quando erit, ut condas instar Carthaginis urbem

dicitur etiam de morientibus: ‚condere oculos‘ ut nos: «die Augen zudrücken»:

Prop. V, 11, 64

condita sunt vestro lumina nostra sinu.

Ov. her. 10, 120

nec mea qui digitis lumina condat, erit?

2) translate variis inservit significationibus, quarum quidem apud Tibullum nullam legimus; dicitur enim de rebus, quas quis, ne possint cognosci, arte vel studio celat:

Prop. II, 6, 32

a gemat, in terris ista qui protulit arte
iurgia sub tacita condita laetitia.

cf. Tibullum I, 9, 3

. . ., etsi quis primo periuria celat

praeterea translato sensu ponitur pro ‚finio, conficio‘:

Prop. V, 4, 61

adde Hymenaee modos, tubicen fera murmura conde

item pro ‚constituo, instituo‘:

Ov. rem. 465

et ne forte putes nova me tibi condere iura

item pro ‚scribo, conpono‘:

Prop. II, 1, 14

tum vero longas condimus Iliadas.

congero: proprie significat idem quod confero, i. e. ‚in unum locum gero, coacervo, congrego‘:

Tib. I, 1, 1

Divitias alius fulvo sibi congerat auro

ib. 7, 59

namque opibus congesta tuis hic glarea dura
sternitur sq.

adde Prop. V, 9, 31

huc ruit in siccam congesto pulvere barbam

Ov. her. 16, 224

congestoque auri pondere dives ero?

translate ab Ovidio ita usurpatur, ut significet ‚itero, repeto‘: her. 17, 113

oscula congerimus properata sine ordine raptim

coniungo: 1) proprie est ‚in unum iungo, copulo‘: Tib. I, 6, 60

haec mihi te adducit tenebris multoque timore
coniungit nostras clam taciturna manus.

adde Cat. 62, 54

at si forte eadem est ulmo coniuncta marito.

2) translate eodem sensu:
Cat. 64, 331

languidulosque paret tecum coniungere somnos

transfertur etiam ad benevolentiam, amicitiam:
Prop. I, 10, 15

possum ego diversos iterum coniungere amantes

Cat. 64, 335

nullus amor tali coniunxit foedere amantes.

apud Tibullum simplex ‚iungo‘ invenitur: I, 1, 69

interea, dum fata sinunt, iungamus amores.

conprendo: 1) proprie exprimit ‚vi prehendo, teneo‘: Tib. II, 5, 92

natusque parenti
oscula conprensis auribus eripiet

a Catullo usurpatur etiam pro ‚deprehendo‘ «fassen, festnehmen», ut nos dicimus: 62, 35

nocte latent fures, quos idem saepe revertens,
Hespere, mutato conprendis nomine eosdem.

2) translate dicitur ab Ovidio: ‚numero conprehendo‘ pro ‚enumero‘:

art. II, 447

o quater et quotiens numero conprendere non est
felicem

ibid. III, 151

nec mihi tot positus numero conprendere fas est.

1. **consero:** proprio sensu eandem fere habet notionem quam simplex ‚sero‘ vel ‚semino‘:

Tib. II, 1, 43

tum victus abiere feri, tum consita pomus

adde Prop. V, 4, 3

lucus erat felix hederoso consitus antro

Ov. her. 5, 25

popule, vive, precor, quae consita margine ripae

translate dicitur a Catullo:

64, 208

ipse autem caeca mentem caligine Theseus
consitus

2. **consero:** 1) proprie ita adhibetur de amplexibus amantium, ut idem sit quod ‚coniungo‘:

Tib. I, 8, 26

sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
oscula, sed femori conseruisse femur.

ibid. 36

dum tumet et teneros conserit usque sinus.

adde Ov. her. 2, 57 sq.

turpiter hospitium lecto cumulasse iugali
paenitet, et lateri conseruisse latus.

‚conserere manus‘ de eis, qui pugnam ineunt, usurpatur ab Ovidio:

her. 12, 100

donec terrigenae (facinus mirabile) fratres
inter se strictas conseruere manus.

idem 2) translato sensu hoc verbo utitur:

am. III, 6, 10

quid properasse iuvat, quid parca dedisse quieti
tempora, quid nocti conseruisse diem.

contexo: proprie est ‚conecto, consero‘:
Tib. I, 2, 69

totus et argento contextus

adde (Tib. III, 4, 33)

et cum contexunt amarantis alba puellae
lilia

(Tib. IV, 1, 22)

. . ., aer,
huic et contextus passim fluat igneus aether

Cat. 64, 292

haec circum sedes late contexta locavit,
vestibulum ut molli velatum fronde vireret.

translate idem valet quod ‚iungo‘: Cat. 64, 334

nulla domus tales umquam contexit amores

apud Tibullum vires eius agit ‚iungo‘: I, I, 69

interea, dum fata sinunt, iungamus amores.

decido: proprie est ‚cado de loco superiore in locum inferiorem‘:
Tib. I, 2, 30

. . ., cum multa decidit imber aqua.

adde Prop. V, 10, 44

illi virgatis iaculantis ab agmine braccis
torquis ab incisa decidit unca gula.

Ov. her. 19, 208

deciderint umeris pallia lapsa meis.

translate ‚in oblivionem venio‘: (Tib. III, 1, 20)

illa mihi referet, si nostri mutua curast
an minor, an toto pectore deciderim.

dedo: proprie idem est quod ‚totum do‘ vel ‚valde‘, cum praepositio ‚de‘ habeat vim augendi:
Tib. I, 3, 7

non soror, Assyrios cineri quae dedat odores

adde Cat. 61, 56 sq.

tu fero iuveni in manus
floridam ipse puellulam
dedis a gremio suae
matris

Ov. her. 14, 125

vel fer opem vel dede neci

translate a Catullo usurpatur pro «einer Sache frönen», ut nos dicimus: 66, 84

sed quae se inpuro dedit adulterio

quo sensu apud Tibullum legimus ‚servio‘: II, 3, 30

felices olim, Veneri cum fertur aperte
servire aeternos non puduisse deos.

deduco: 1) proprie significat ‚deorsum duco‘ vel ‚detraho‘: Tib. I, 3, 86

deducat plena stamina longa colo

ib. 4, 80

tempus erit, cum me Veneris praecepta ferentem
deducat iuvenum sedula turba senem.

ib. 5, 65

pauper ad occultos furtim deducet amicos

ib. 8, 21

cantus et e curru Lunam deducere temptat

adde Prop. I, 1, 19

. . ., deductae quibus est fallacia lunae

Cat. 64, 312

dextera tum leviter deducens fila supinis
formabat digitis

Ov. her. 6, 85

illa reluctantem cursu deducere Lunam
nititur

praeterea cum de uxore sermo est, quae in mariti domum ducitur, hoc verbum suum locum habet:

(Tib. III, 4, 31)

ut iuveni primum virgo deducta marito
inficitur teneras ore rubente genas

Prop. V, 3, 13

quae mihi deductae fax omen praetulit

Cat. 68, 143

nec tamen illa mihi dextra deducta paterna
fragrantem Assyrio venit odore domum

separatim de navibus dicitur, quae de litore in mare ducuntur:

Prop. I, 6, 15

ut mihi deducta faciat convicia puppi
Cynthia

2) translate ponitur pro ‚alieno':

Prop. III, 25, 9

at me ab amore tuo deducet nulla senectus

Ov. am. II, 18, 17

hinc quoque me dominae numen deduxit iniquae

a Propertio ‚carmina deducere' dicitur pro ‚diligenter elaboro':

I, 16, 41

at tibi saepe novo deduxi carmina versu

delabor: non nisi proprio sensu adhibitum nobis occurrit et significat ‚a superiore loco labor in locum inferiorem':

Tib. II, 6, 39

. . . ab excelsa praeceps delapsa fenestra

adde Cat. 64, 66

omnia quae toto delapsa e corpore passim
ipsius ante pedes fluctus salis adludebant.

Ov. am. III, 1, 51

delabique toro tunica velata soluta

separatim dicitur de deis vel avibus, qui se de caelo vel aethere in terram demittunt:

Ov. her. 17, 65

tu, dea, mortalem caelo delapsa petebas

am. III, 5, 21

huc levibus cornix pinnis delapsa per auras
venit

demo: proprie est ‚tollo, aufero':

Tib. I, 8, 46

tollere tum cura est albos a stirpe capillos
et faciem dempta pelle referre novam.

adde (ib. IV, 3, 14)

et demam celeri ferrea vincla cani.

Cat. 68, 146

ipsius ex ipso dempta viri gremio.

Ov. her. 12, 156

sertaque conpositis demere rapta comis.

translate eodem sensu:

Prop. II, 1, 65

hoc si quis vitium poterit mihi demere

id. IV, 6, 2

sic tibi sint dominae, Lygdame, dempta iuga.

Cat. 99, 6

. . . nec possum fletibus ullis
tantillum vestrae demere saevitiae.

Ov. her. 1, 50

virque mihi dempto fine carendus abest?

Tibullus autem hanc notionem verbo ‚pellendi' expressit: II, 1, 18

vos mala de nostris pellite*) limitibus

depono: 1) proprie exprimit ‚pono deorsum':

Tib. II, 1, 48

calidi cum sideris aestu
deponit flavas annua terra comas.

adde (ib. IV, 7, 4)

exorata meis illum Cytherea camenis
attulit in nostrum deposuitque sinum.

Prop. III, 25, 5

miles depositis annosus secubat armis

Cat. 64, 234

funestam antennae deponant undique vestem

Ov. her. 17, 33

ter mihi deposita est in sicca vestis harena

ponitur etiam pro ‚pario':

Cat. 34, 8

quam mater prope Deliam
deposivit olivam

2) translate:

Prop. I, 86, 29

falsa licet cupidus deponat gaudia livor

---

*) sic legitur in optimis codd., cod. G praebet ‚tollite'; minus bene; nam Tibullus huius verbi non utitur nisi propria significatione:

I, 3, 11

illa sacras pueri sortes ter sustulit

ib. 8, 45

tollere tum cura est albos a stirpe capillos.

Cat. 76, 13

difficile est longum subito deponere amorem

Ov. her. 4, 85

tu modo duritiam silvis depone iugosis

praeterea dicitur de rebus, quae custodiae et fidei alicuius commissae sunt:

Ov. art. I, 641

reddite depositum: pietas sua foedera servet

cf. Tibullum I, 6, 37

at mihi servandam credas

despuo: proprio sensu idem fere valet quod simplex verbum ‚spuo‘:

Tib. I, 2, 54

. . ., ter dictis despue carminibus

ibid. 96

despuit in molles et sibi quisque sinus.

ib. I, 3, 14

tamen est deterrita numquam,
quin fleret nostras despueretque*) vias.

translate usurpatur pro ‚aspernari‘:

Cat. 50, 19

precesque nostras,
oramus, cave despuas

cuius locum apud Tibullum occupat verbum ‚sperno‘:

I, 8, 55

‚quid me spernis?‘ ait

ibid. 61

miserum si spernit amantem

---

*) codd. optimi habent: ‚respiceretque‘ (sic A V G) ‚respueretque‘ recentissimi, quod Baehrensius et Hillerus in textum receperunt; sed cum verbum respuendi a Tibullo nullo alio loco adhibeatur, despuendi autem verbum extet locis illis a me allatis, necessario eam lectionem reddendam esse censeo quam reddidit Hauptius. Jam illud ‚respiceretque‘ minime praebet sensum idoneum; Dissenius explicat: ‚cum iam ingressus esset iter Tibullus‘; sed ex versibus proxime sequentibus cognosci licet, Tibullum omnino nondum ingressum esse iter. Rossbachius scripsit ‚prospiceretque‘.

detineo: proprie est idem fere quod ‚teneo' vel ‚moror':

Tib. I, 1, 46

quam iuvat inmites ventos audire cubantem
et dominam tenero detinuisse*) sinu

I, 2, 94

stare nec ante fores puduit caraeve puellae
ancillam medio detinuisse foro.

I, 7, 58

nec taceat monumenta viae, quem Tuscula tellus
candidaque antiquo detinet Alba lare.

I, 8, 20

cantus et iratae detinet anguis iter

ibid. 74

et cupidum ficta detinuisse mora

adde Prop. IV, 2, 1

Orphea detinuisse feras et concita dicunt
flumina Threicia sustinuisse lyra.

Cat. 68, 100

sed Troia obscena, Troia infelice sepultum
detinet extremo terra aliena solo.

Ov. her. 4, 110

illum Pirithoi detinet ora sui

translate eodem sensu:

Ov. trist. 2, 520

et mea sunt populo saltata poëmata saepe,
saepe oculos etiam detinuere tuos.

ibid. V, 7, 39

detineo studiis animum

---

*) sic legitur in codd. quibusdam recentissimis, quam lectionem plurimi editores receperunt; conferunt enim Verg. Aen. IV, 84

aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta,
detinet, infandum si fallere possit amorem.

sed codd. optimi habent ‚continuisse' (sic A V G), quod mihi quidem maxime probatur; videtur enim in deliciis habuisse Tibullus verba conposita cum ‚cum' praepositione; cf. con — dolere I, 6, 36; — ponere I, 6, 4 — ferre I, 2, 21 — tribuere I, 6, 64 et multa alia. accedit quod Tibullus verbum detinendi non usurpat nisi ita, ut significet idem quod ‚teneo vel moror', locus autem de quo agitur sensum flagitat «umschlungen halten». Baehrensius male scripsit ‚tum tenuisse'.

detrecto: propie est ‚recuso, vito‘:
Tib. I, 6, 38
detrecto non ego vincla pedum.
significat etiam ‚obtrecto‘:
Ov. rem. 365
ingenium magni livor detrectat Homeri

devincio: proprio sensu idem fere significat quod simplex ‚vincio‘:
Tib. II, 5, 5
ipse triumphali devinctus tempora lauro
ibid. 117
. . ., lauro devinctus agresti
miles
translate eodem sensu:
Cat. 64, 122
. . ., aut ut eam devinctam lumina somno
liquerit inmemori discedens pectore coniunx?
quo sensu apud Tibullum simplex ‚vincio‘ invenitur:
I, 1, 64
. . . non tua sunt duro praecordia ferro
vincta

diripio: proprie est ‚in diversas partes rapio‘:
Tib. I, 6, 54
. . ., ut hic ventis diripiturque cinis
adde (Tib. IV, 3, 22)
incidat in saevas diripienda feras.
Prop. V, 8, 61
illas direptisque comis tunicisque solutis
excipit obscurae prima taberna viae.
Ov. her. 11, 118
diripiunt avidae viscera nostra ferae
ponitur etiam pro ‚aufero aliquid quasi praedam‘:
Prop. V, 7, 22
foederis heu taciti, cuius fallacia verba
non audituri diripuere noti.
quo sensu Tibullus ‚fero‘ adhibet: I, 4, 22
Veneris periuria venti
invita per terras et freta summa ferunt.

discedo: proprio sensu saepissime significat ‚digredior‘:
Tib. I, 3, 21
audeat invito nequis discedere Amore
I, 5, 41
tum me discedens devotum femina dixit
II, 1, 11
discedat ab aris,
cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
II, 4, 49
et ‚bene‘ discedens dicet ‚placideque quiescas
adde Prop. II, 5, 9
nunc est ira recens, nunc est discedere tempus
Cat. 64, 123
. . . aut ut eam devinctam lumina somno
liquerit inmemori discedens pectore coniunx?
Ov. her. 1, 81
me pater Icarius viduo discedere lecto
cogit
translate eodem sensu:
(Tib. III, 6, 37)
quid queror infelix? turpes discedite curae
Ov. her. 19, 3
perlege! discedat sic corpore languor ab isto
Tibullus verbum ‚eundi‘ cum adverbio ‚procul‘ usurpat:
I, 1, 76
. . . ., vos, signa tubaeque,
ite procul
II, 4, 15
ite procul musae, si non prodestis amanti
ibid. 20
ite procul, musae, si nihil ista valent.

edo: variis hoc verbum significationibus inservit; apud Tibullum vero haec una nobis occurrit, qua idem exprimitur quod verbo ‚narrandi vel dicendi‘:
I, 4, 73
haec mihi, quae canerem Titio, deus edidit ore
I, 9, 25 sq.
ipse deus tacito permisit lingua ministro
ederet ut multo libera verba mero.

adde (Tib. III, 4, 42)

edidit haec dulci tristia verba modo.

Ov. am. I, 1, 2

arma gravi numero violentaque bella parabam
edere

opus edere = ‚publici iuris facere‘:

Cat. 95, 2

Zmyrna mei Cinnae nonam post denique messem
quam coepta est nonamque edita post hiemem

saepius ponitur pro ‚parere‘:

Prop. IV, 10, 11

tuque, o cara mihi, felicibus edita pennis

ib. V, 1, 121

Umbria te notis antiqua penatibus edit

Ov. her. 11, 107

quid puer admisit tam paucis editus horis?

‚animam edere‘ dicit Ovidius pro ‚mori‘: her. 9, 62

nempe sub his animam pestis Nemeaea lacertis
edidit

Tibullus verbo ‚moriendi‘ utitur:

I, 1, 60

te teneam moriens deficiente manu.

effundo: 1) proprie idem fere valet quod ‚profundo‘:

Tib. I, 6, 48

sanguineque effuso spargit inulta deam

adde Prop. III, 33, 39

largius effuso madeat tibi mensa Falerno

Ov. am. II, 16, 26

non qua submersis ratibus saturata Charybdis
fundit et effusas ore receptat aquas

latiore vero significatione refertur ad alias res conexas quae dissolvuntur:

Tib. I, 3, 8

et fleat effusis ante sepulcra comis

ibid. 38

nondum caeruleas pinus contempserat undas,
effusum ventis praebueratque sinum

I, 6, 40

et fluit effuso cui toga laxa sinu

adde Prop. III, 13c, 56

illuc

diceris effusa tu Venus isse coma.

Cat. 64, 391

saepe vagus Liber Parnasi vertice summo
thyiadas effusis euantis crinibus egit

Ov. her. 7, 68

. . . effusis sanguinolenta comis.

‚carmina effundere' dicit Ovidius; nos «ertönen lassen»:

Ov. her. 12, 139

tibiaque effundit socialia carmina vobis

2) translate ab Ovidio solo usurpatur ‚effundere vitam' pro ‚mori':

Ov. her. 7, 179

est animus nobis effundere vitam

Tibullus ipso verbo ‚moriendi' contentus erat:

I, 1, 60 (vid. ‚edo' pag. 24).

excludo: proprie idem fere exprimit quod ‚claudere alicui fores':

Tib. II, 3, 73

nullus erat custos, nulla exclusura dolentes
ianua

II, 4, 39

. . ., quae pretio victos excludis amantes

adde Prop. I, 5, 20

tum grave servitium nostrae cogere puellae
discere et exclusum quid sit abire domo

Ov. am. I, 6, 31

quid facies hosti, qui sic excludis amantem?

translate eodem sensu:

Prop. III, 25, 2

excludit quoniam sors mea ‚saepe veni'

exeo: 1) proprie est ‚egredior':

Tib. I, 6, 21

exibit quam saepe, time, ...

adde Cat. 80, 3

mane domo cum exis . . . .

Ov. her. 13, 85

cum foribus velles ad Troiam exire paternis

cum accusativo *fines* coniungitur a Propertio pro ‚transgredior' more transitivorum: IV, 5, 37

curve suos fines altum non exeat aequor

dicitur etiam de fluminibus in mare influentibus:

Ov. am. II, 13, 10

quaque celer Nilus lato delapsus in alveo
per septem portus in maris exit aquas.

2) translate hoc verbo Ovidius utitur, nos: «sich erstrecken»: am. III, 12, 41

exit in inmensum fecunda licentia vatum

idem dicit ‚spiritus exit' pro mori': art. III, 741

nomine suspectas iam spiritus exit in auras

quod Tibullus simplici verbo ‚moriendi' exprimit: I, 1, 60 (vide ‚edo' pag. 24).

expello: proprie significat ‚pello aliquid ex aliquo loco':

Tib. II, 3, 14a

ipse deus solitus stabulis expellere vaccas

adde Prop. I, 3, 36

tandem te nostro referens iniuria lecto
alterius clausis expulit e foribus?

translate eodem sensu:

(Tib. IV, 4, 1)

Huc ades et tenerae morbos expelle puellae

Cat. 44, 7

. . . malamque pectore expuli tussim

Ov. her. 14, 72

expulerunt somnos haec mea dicta tuos

quo sensu Tibullus verbum ‚pellendi' adhibet:

II, 1, 18

vos mala de nostris pellite limitibus

ibid. 38

. . . his vita magistris
desuevit querna pellere glande famem

et ,depellendi':

I, 5, 37

saepe ego temptavi curas depellere vino

exploro: proprius huius verbi sensus, quo idem fere valet quod ,inquiro', apud Tibullum occurrit legenti:

II, 1, 78

explorat caecas cui manus ante vias

translatus ponitur ab Ovidio:

art. I, 456

exploretque animos . . . .

ad hanc sententiam exprimendam Tibullus verbum ,quaerendi' usurpat:

I, 2, 35

neu strepitu terrete pedum, neu quaerite nomen

exprimo: proprie est ,premendo extraho':

Tib. I, 7, 36

illi iucundos primum matura sapores
expressa incultis uva dedit pedibus.

adde Ov. art. I, 82

Appias expressis aëra pulsat aquis

translate eodem sensu:

Cat. 42, 17

quod si non aliud potest, ruborem
ferreo canis exprimamus ore.

exuro: proprio sensu ita adhibetur, ut idem fere sit atque simplex ,uro' aut ,valde et ex omni parte':

Tib. II, 3, 9

nec quererer, quod sol graciles exureret artus

adde (Tib. IV, 1, 164)

nulla nec exustas habitant animalia partes

Prop. IV, 8, 7

tu minitare oculos subiecta exurere flamma

Cat. 68, 62

cum gravis exustos aestus hiulcat agros.

translate significat ‚amore accendo‘: (Tib. IV, 2, 5)

. . ., cum vult exurere divos

impero: proprie est ‚mando, praecipio‘:

Tib. II, 3, 34

. . ., cui tristi fronte Cupido
imperat ut nostra sint tua castra domo

adde Prop. I, 9, 4

et tibi nunc quovis imperat empta modo.

Ov. her. 17, 46

imperet Hippotades sic tibi triste nihil.

transfertur ad animi motus:

Ov. her. 11, 15

imperat (heu!) ventis: tumidae non imperat irae

induo: proprie significat ‚corpus veste aliqua vel aliis rebus circumdo‘:

Tib. II, 5, 7

nunc indue vestem
sepositam

adde (Tib. IV, 1, 122)

nam modo fulgentem Tyrio sub tegmine vestem
indueras

Prop. IV, 10, 16

dein, qua primum oculos cepisti veste Properti,
indue

Ov. art. III, 109

si fuit Andromache tunicas induta valentes

translate eodem sensu dicitur ab Ovidio: am. III, 14, 27:

indue cum tunicis metuentem crimina vultum.

inficio: proprio sensu dicitur de iis rebus, quas quis colore ita miscet, ut amittant colorem naturalem:

Tib. I, 8, 42

cum vetus infecit cana senecta caput.

II, 2, 20

. . ., dum tarda senectus
inducat rugas inficiatque comas

II, 3, 56

. . ., quos India torret
Solis et admotis inficit ignis equis.

adde (Tib. III, 4, 32)

inficitur teneras ore rubente genas

Prop. III, 17, 2

hoc erit infectas sanguine habere manus.

Cat. 64, 243

cum primum infecti conspexit lintea veli

Ov. art. III, 163

femina canitiem Germanis inficit herbis

latiore deinde significatione est ‚conrumpo': Ov. her. 9, 142

. . . et inficit sanguis equinus aquas.

inmisceo: proprie est ‚misceo aliquam rem re aliqua':

Tib. I, 3, 63

at iuvenum series teneris inmixta puellis
ludit, ...

adde Ov. am. III, 5, 9

ecce petens variis inmixtas floribus herbas

translate eodem sensu:

Ov. her. 6, 73

adde preces castas inmixtaque vota timori

am. II, 12, 15

nec casum fortuna meis inmiscuit actis.

cf. Tibullum I, 1, 62

tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.

inpello: 1) proprio sensu idem valet quod ‚pello aliquid aliqua re':

Tib. II, 5, 3

nunc te vocales inpellere pollice chordas

dicitur etiam de navibus quae remis aguntur:

Ov. her. III, 153

. . ., sive paras inpellere remige classem

apud Tibullum simplex ‚pello' legimus: I, 4, 46

ipse levem remo per freta pelle ratem.

2) translate significat ‚conmoveo aliquem ut faciat aliquid', nec minus in bonam quam in malam partem dicitur:

Cat. 15, 15

quod si te mala mens furorque vecors
in tantam inpulerit, sceleste, culpam

Ov. am. I, 9, 43

inpulit ignavum formosae cura puellae.

inpono: 1) proprie exprimit idem quod ‚pono aliquid super re aliqua‘:

Tib. II, 1, 10

. . . . non audeat ulla
lanificam pensis inposuisse manum.

ibid. 60

rure puer verno primum de flore coronam
fecit et antiquis inposuit laribus.

adde Prop. I, 1, 4

et caput inpositis pressit Amor pedibus

Ov. am. I, 4, 35

nec premat inpositis sinito tua colla lacertis

deinde in re navali hoc verbum suum habet locum:

Ov. art. II, 430

. . . non semper eodem
inpositos vento panda carina vehit.

‚custodem inponere alicui‘ «als Wächter aufstellen», ut nos dicimus:

Ov. am. III, 4, 1

Dure vir, inposito tenerae custode puellae

quod cum Tibullus exprimit, simplici verbo ‚ponendi‘ utitur:

I, 2, 5

nam posita est nostrae custodia saeva puellae

2) translate saepissime significat id quod nos dicimus: «aufbürden»:

Prop. IV, 20b, 23

et quibus inposuit, solvit mox vincla libido

ibid. V, 5, 13

audax cantatae leges inponere lunae

Ov. art. II, 20

difficile est illis inposuisse modum.

ibid. 202

inponat leges vultibus illa tuis.

Tibullo autem ,sum cum dativo' dicere placet: I, 6, 69

et mihi sint durae leges, . . .

,supremam manum alicui rei inpono' h. e. finio:

Ov. rem. 114

post tamen hic multos sanatus creditur annos
supremam bellis inposuisse manum.

inprimo: proprio sensu de rebus dicitur quas quis ita premit, ut nota existat vel vestigium:

Tib. I, 6, 14

tum sucos herbasque dedi, quis livor abiret,
quem facit inpresso mutua dente Venus.

adde Prop. I, 3, 12

molliter inpresso conor adire toro.

Ov. am. I, 7, 41

aptius inpressis fuerat livere labellis

translate eodem sensu:

Cat. 57, 3 sqq.

maculae pares utrisque,
urbana altera et illa Formiana,
inpressae resident nec eluentur.

insto: 1) proprium sensum qui idem significat quod ,urgeo vel premo' apud Tibullum legimus: I, 6, 32

instabat*) tota cui tua nocte canis.

adde Prop. II, 5, 20

verum etiam instanti laesa repugnat ovis.

saepius autem hoc verbum

2) translate adhibetur pro ,permaneo vel persisto in aliqua re':

Ov. her. 8, 28

instant officio nomina bina tuo.

art. I, 485

quod rogat illa, timet: quod non rogat, optat, ut instes.

est etiam ,sedulo operam do alicui rei':

---

*) codd. optimi (A V G) hanc lectionem praebent. cf. Verg. Aen. XII, 751:
venator cursu canis et latratibus instat
Baehrensius scripsit ,latrabat', quod in nullo cod. legitur.

Cat. 66, 50

et qui principio sub terra quaerere venas
instititit ac ferri frangere duritiem!

Ov. art. II, 535

quid moror in parvis? animus maioribus instat.

praeterea significat «nahe bevorstehen», ut nos dicimus:
(Tib. IV, 1, 119)

. . . maiora peractis
instant, conpertum est veracibus ut mihi signis

insum: proprie est ‚sum in aliqua re vel loco aliquo‘:
Tib. I, 6, 34

. . ., frustra clavis inest foribus.

adde Ov. am. III, 1, 2

credibile est illi numen inesse loco.

translate eodem sensu:
(Tib. III, 4, 84)

nec tantum crimen pectore inesse tuo

(ibid. 6, 49)

nulla fides inerit sq.

Prop. V, 9, 72

sancte, velis libro dexter inesse meo.

Ov. her. 16, 46

matris in admisso falsa sub imagine lusae
error inest

quo sensu Tibullus simplex ‚sum cum dativo‘ usurpat:
II, 5, 64

. . ., et aeternum sit mihi virginitas.

II, 6, 10

et mihi sunt vires

obrepo: proprie significat ‚latenter et tacite advenio‘:
Tib. I, 8, 59

et possum media quamvis obrepere nocte

translate dicitur de eis rebus, quae cum accedunt sensum fallunt, sic de somno:

Ov. her. 18, 46

sed movet obrepens somnus anile caput.

apud Tibullum simplex ‚venio' invenitur: II, 1, 89

postque venit tacitus furvis circumdatus alis
Somnus et incerto Somnia nigra pede.

occurro: proprie est ‚obviam curro':

Tib. I, 2, 25

nec sinit occurrat quisquam sq.

I, 6, 41

quisquis et occurret sq.

II, 3, 17 sq.

o quotiens illo vitulum gestante per agros
dicitur occurrens erubuisse soror!

adde Ov. art. II, 225

‚occurras aliquo' tibi dixerit sq.

translate eodem sensu:

Prop. I, 20, 3

saepe inprudenti fortuna occurrit amanti.

Ov. her. 13, 107

sed tua cur nobis pallens occurrit imago?

Ov. am. III, 12, 3

quodve putem sidus nostris occurrere fatis.

offendo: proprio sensu idem exprimit quod ‚incurro vel incido in aliquam rem':

Tib. I, 3, 19 sq.

o quotiens ingressus iter mihi tristia dixi
offensum in porta signa dedisse pedem!

adde Ov. her. 13, 86

pes tuus offenso limine signa dedit

translate usurpatur pro ‚laedo':

Prop. IV, 8, 40

offensa illa mihi, non tibi amica, dedit.

Ov. am. III, 3, 31

formosas superi metuunt offendere laesi

quo sensu apud Tibullum hoc ipsum verbum ‚laedendi' positum videmus:

I, 1, 67

tu manes ne laede meos, sq.

I, 3, 79

et Danai proles, Veneris quod numina laesit

I, 6, 29

non ego te laesi prudens: ignosce fatenti!

I, 9, 1

. . ., si fueras miseros laesurus amores

ibid. 6

. . . aequum est inpune licere
numina formosis laedere vestra semel.

et verbum ‚violandi‘:

I, 2, 79

num Veneris magnae violavi numina verbo

I, 3, 81

illic sit quicumque meos violavit amores

I, 9, 2

foedera . . . . ., clam violanda

ibid. 19

divitiis captus si quis violavit amorem

II, 4, 24

sed Venus ante alios est violanda mihi.

offero: 1) proprie est ‚fero obviam‘:

Tib. I, 4, 55

rapta dabit primo, mox offeret*) ipse roganti

ib. I, 6, 1

Semper, ut inducar, blandos offers mihi vultus

adde Ov. am. III, 7, 45 sq.

credo etiam magnos, quo sum tam turpiter usus,
muneris oblati paenituisse deos.

hinc ‚se offerre‘ significat «erscheinen, nahen», ut nos dicimus:

Cat. 66, 53 sq.

. . ., cum se Memnonis Aethiopis
unigena inpellens nictantibus aera pennis
obtulit Arsinoes Locridos ales equus

Tibullus dicit ‚adesse‘:

I, 1, 37

adsitis divi sq.

---

*) codd. habent ‚adferet‘ (sic A V G); sed cum hoc verbum a Tibullo non nisi translate usurpetur (vide pag. 52), equidem ‚offeret‘ exhibendum esse censeo, quod factum est ab editoribus praeter Lachmannum, qui ‚at feret‘ scripsit.

I, 3, 90

sed videar caelo missus adesse tibi.

dicitur etiam sensu hostili:

(Tib. IV, 1, 148)

nulla tibi adversis regio sese offeret armis.

cf. Tibullum: I, 6, 30

iussit Amor: contra quis feret arma deos?

2) translate a Catullo ponitur pro ‚afficere aliquem aliqua re', nos dicimus «zufügen, bereiten»:

64, 248

. . . ferox Theseus qualem Minoidi luctum
obtulerat sq.

Tibullus autem simplici verbo ‚ferendi' utitur:

I, 1, 76

. . ., cupidis vulnera ferte viris

II, I, 12

cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.

operio: proprie idem fere valet quod ‚tego':

Tib. II, 1, 40

exiguam viridi fronde operire domum

adde Ov. rem. 196

stetque peregrinis arbor operta comis.

separatim dicitur de vestibus:

Prop. III, 15, 6

interdum tunica duxit operta moram.

hoc sensu apud Tibullum ‚tego' legimus:

I, 3, 30

ante sacras lino tecta fores sedeat

II, 3, 76

horrida villosa corpora veste tegant.

significat etiam id quod ‚claudo':

Cat. 67, 40

tantum operire soles aut aperire domum?

hoc verbo ‚claudendi' Tibullus utitur:

I, 2, 6

clauditur et dura ianua firma sera

II, 4, 22

ne iaceam clausam flebilis ante domum

oppono: 1) proprie est ‚pono obviam':
Tib. I, 8, 76

quaecumque opposita est ianua dura sera.

adde Ov. her. 16, 8

oppositas habuit regia nostra fores

2) translate eodem sensu:
Prop. I, 17, 11

an poteris siccis mea fata opponere ocellis

III, 14, 13

nec mihi iam fastus opponere quaerit iniquos

Ov. her. 5, 5

quis deus opposuit nostris sua numina votis?

significat etiam «einer Gefahr aussetzen» et «verpfänden», qui sensus duplex inest in illis versibus, qui apud Catullum leguntur:
26, 1 sqq.

Furi, villula nostra non ad austri
flatus opposita est neque ad favoni
nec saevi boreae aut apeliotae,
verum ad milia quindecim et ducentos.

percutio: 1) proprie significat ‚quatio omnibus corporis viribus intentis':
Tib. I, 5, 68

nec verbis victa patescit
ianua, sed plena est percutienda manu.

hinc dicitur etiam pro ‚interficio':
Prop. III, 13 c, 53

testis, cui niveum quondam percussit Adonin
venantem Idalio vertice durus aper.

Cat. 64, 364

cum teres excelso coacervatum aggere bustum
excipiet niveos percussae virginis artus.

Ov. her. 4, 94

. . ., multaeque per herbas
conciderant illo percutiente ferae.

praeterea usurpatur, cum sermo est de instrumentis musicis:
Prop. II, 1, 9

sive lyrae carmen digitis percussit eburnis

Ov. am. III, 12, 40

duraque percussam saxa secuta lyram?

quo sensu Tibullus dicit ‚inpello': II, 5, 3

nunc te vocales inpellere pollice chordas

dicitur etiam de facibus ita, ut idem significet quod ‚vibro':

Prop. IV, 16, 16

ipse Amor accensas percutit ante faces

2) translate pertinet ad animi affectionem:

Prop. I, 16, 28

o utinam traiecta cava mea vocula rima
percussas dominae vertat in auriculas!

peredo: proprie est ‚edendo consumo' et dicitur nec minus de animalibus quam de rebus, quae quod natura aut manu factum est, vetustate aliquando conficiant et consumant:

Tib. I, 4, 18

longa dies molli saxa peredit aqua.

translate eodem sensu:

Cat. 55, 31

multis langoribus peresus

cf. Tibullum: I, 5, 9

. . . ., cum tristi morbo defessa iaceres

pereo: 1) proprio sensu idem fere significat quod ‚intereo':

Tib. I, 1, 51

o quantum est auri pereat potiusque smaragdi

II, 4, 27

o pereat, quicumque legit viridesque smaragdos

II, 5, 105

pace tua pereant arcus pereantque sagittae

adde (Tib. III, 4, 62)

o pereat, didicit fallere si qua virum.

(Tib. IV, 3, 6)

o pereant silvae, deficiantque canes!

Prop. I, 11, 30

o pereant Baiae crimen amoris aquae!

Cat. 8, 2

et quod vides perisse perditum ducas.

Ov. her. 14, 117

nam mihi quot fratres, totidem periere sorores

saepius autem

2) translato sensu adhibetur variisque inservit significationibus; dicitur enim de amantibus, qui amore conficiuntur:

Prop. III, 15, 13

ipse Paris nuda fertur periisse Lacaena

Cat. 45, 3 sqq.

ni te perdite amo atque amare porro
omnes sum adsidue paratus annos
quantum qui pote plurimum perire

et de tempore:

Prop. III, 21, 5

tot noctes periere.

Ovid. her. 16, 175

tempora ne pereant ultro data sq.

quo sensu Tibullus verbo utitur et ‚transeundi‘:

I, 4, 27

at si tardueris, errabis: transiet aetas.

et ‚praetereundi‘:

ibid. 33 sq.

vidi iam iuvenem, premeret cum serior aetas,
maerentem stultos praeteriisse dies.

est etiam exclamatio desperantis; nos «ich bin des Todes!»

Ov. art. III, 607

callida prosiliat dicatque ancilla ‚perimus!‘

et formula iurantis:

Prop. III, 24 a, 15

o peream, si me ista movent dispendia

Ov. her. 16, 183

et peream, si non invitant omnia culpam.

perfero: 1) proprie significat ‚ad aliquem locum vel finem fero‘:

Tib. II, 5, 69 sq.

quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes
portarit sicco pertuleritque sinu

adde Ov. am. I, 11, 8

accipe et ad dominam pararatas mane tabellas
perfer sq.

2) translate dicitur pro ‚mandata alicuius exsequi‘:

Prop. I, 18, 25

omnia consuevi timidus perferre superbae
iussa

Ov. her. 11, 127 sq.

tu, rogo, dilectae nimium mandata sororis
perfer

saepius autem idem valet quod ‚patior vel tolero‘:

Prop. III, 23, 7

deinde, ubi pertuleris, quos dicit fama, labores

Cat. 8, 11

sed obstinata mente perfer, obdura.

Ov. am. I, 9, 15 sq.

quis nisi vel miles vel amans et frigora noctis
et denso mixtas perferet imbre nives?

quo sensu Tibullus constanter dicit simplex ‚fero‘:

I, 1, 50

. . ., sit dives iure, furorem
qui maris et tristes ferre potest pluvias.

I, 5, 1

Asper eram et bene discidium me ferre loquebar.

I, 6, 82

commemorant merito tot mala ferre senem.

perfundo: proprie est ‚plane madefacio aliquem‘:

Tib. I, 2, 3

neu quisquam multo perfusum*) tempora Baccho
excitet sq.

adde (Tib. III, 2, 16)

perfusaeque pias ante liquore manus

Prop. I, 2, 3

. . . Orontea crines perfundere murra

---

*) sic legitur in cod. recentissimo; optimi codd. habent ‚percussum‘ (sic A V G), quod Baehrensius in textum recepit; equidem ‚perfusum‘ servandum esse puto; conferre enim licet idem dicendi genus apud Tib. I, 7, 50

multo tempora funde mero

et Horat. carm. I, 7, 22 sq.

tamen uda Lyaeo
tempora populea fertur (Teucer) vinxisse corona

Cat. 64, 399

perfudere manus fraterno sanguine fratres

Ov. her. 14, 127

et sepeli lacrimis perfusa fidelibus ossa

translate pertinet ad animum diciturque pro ‚inpleo‘:

Cat. 64, 330

quae tibi flexanimo mentem perfundat amore

persto: 1) proprio sensu idem est quod ‚firmiter sto in aliquo loco‘:

Tib. I, 5, 71

non frustra quidam iam nunc in limine perstat

2) translato dicitur de re aliqua, quae suo statu manet:

Ov. her. 17, 206

cum tua contigero litora, perstet hiemps

quam sententiam cum Tibullus profert verbo ‚manendi‘ utitur:

I, 3, 83

at tu casta precor maneas sq.

II, 2, 19

vincula, quae maneant semper sq.

est etiam ‚persisto vel permaneo in aliqua re‘:

Ov. art. II, 560

in causa damni perstat uterque sui.

peruro: 1) proprie est ‚urendo consumo‘:

Tib. I, 3, 5 sq.

. . . non hic mihi mater
quae legat in maestos ossa perusta sinus

dicitur etiam de sole:

Prop. 5, 9, 46

. . . Libyco sole perusta coma

apud Tibullum simplex ‚uro‘ adhibitum legimus:

I, 9, 15

uretur facies, urentur sole capilli

2) translate eodem sensu:

Cat. 77, 3

sicine subrepsti mi atque intestina perurens

singillatim dicitur de eo, qui amore inflammatus est:

Ov. art. III, 543

sed facile haeremus validoque perurimur aestu

praefero: proprius huius verbi sensus est «vorantragen», ut nos dicimus:

Tib. I, 1, 54

ut domus hostiles praeferat exuvias

translate est ‚prae me fero, ostendo‘:

(Tib. III, 4, 29)

candor erat qualem praefert Latonia Luna

Ov. her. 16, 36

si modo, quem praefers, non simulatur amor.

significat etiam ‚antefero, praepono‘, nos «den Vorzug geben»:

Prop. I, 7, 22

tunc ego Romanis praeferor ingeniis

I, 20, 40

proposito florem praetulit officio

Ov. am. III, 8, 10

praefertur nobis sanguine pastus eques!

procumbo: 1) proprie est ‚me demitto, inclinor‘:

Tib. I, 2, 83

non ego, si merui, dubitem procumbere templis

ib. I, 9, 30

nunc pudet ad teneros procubuisse pedes.

adde Ov. her. 12, 186

nec moror ante tuos procubuisse pedes.

singillatim si sermo est de hostiis:

Cat. 64, 389

conspexit terra centum procumbere tauros.

quo sensu Tibullus utitur modo verbo ‚cadendi‘:

I, 1, 23

agna cadet vobis sq.

modo ‚concidendi‘:

I, 2, 62

concidit ad magicos hostia pulla deos.

2) translate significat «dahinsinken», ut nos dicimus:

Ov. rem. 177 sq.

aut nova, si possis, sedare incendia temptes,
aut ubi per vires procubuere suas.

prodeo: proprio sensu idem fere est quod ‚exeo vel in publicum progredior':

Tib. I, 9, 70

. . . Tyrio prodeat apta sinu?

adde (Tib. III, 3, 3)

non ut marmorei prodirem e limine tecti

Prop. III, 25, 43

vidistis quandam Argiva prodire figura

Cat. 61, 95

prodeas, nova nupta

Ov. am. III, 11, 13

vidi, cum foribus lassus prodiret amator

translate:

Ov. art. III, 171

cum tot prodierint pretio leviore colores

profero: proprie significat ‚promo':

Tib. I, 10, 1

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?

ib. II, 1, 27

nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
consulis sq.

translate est ‚efficere':

Prop. II, 6, 31

a gemat, in terris ista qui protulit arte
iurgia sq.

cf. Tibullum:

II, 4, 31

haec fecere malas

est etiam ‚narro, recito':

Prop. I, 18, 3

hic licet occultos proferre inpune dolores

Cat. 64, 195 sq.

. . ., meas audite querellas,
quas ego, vae miserae, extremis proferre medullis
cogor inops sq.

recurro: proprie est ‚retro curro':

Tib. I, 5, 73

et simulat transire domum, mox deinde recurrit

ib. II, 4, 18

. . ., versis Luna recurrit equis.

adde (Tib. IV, 3, 24)

et celer in nostros ipse recurre sinus.

Prop. V, 8, 63

Cynthia gaudet in exuviis victrixque recurrit

Ov. art. III, 360

aemulus et coeptum saepe recurrit iter.

translate eodem sensu:

Prop. V, 5, 30

maior dilata nocte recurret amor.

reddo: proprio sensu dicitur de iis rebus, quas quis promissas vel acceptas vel ablatas restituit:

Tib. I, 3, 34

reddereque antiquo menstrua tura lari.

ib. II, 1, 36

redditur agricolis gratia caelitibus.

ib. II, 5, 22

semina, quae magno fenore reddat ager

adde (Tib. III, 3, 25)

o niveam, quae te poterit mihi reddere, lucem!

(Tib. IV, 4, 23 sq.)

. . ., cum debita reddet
certatim sanctis laetus uterque focis.

Prop. II, 8, 37

at postquam sera captiva est reddita poena

Cat. 42, 4

et negat mihi nostra redditura
pugillaria, si pati potestis.

Ov. her. 16, 31

reddidit intactam sq.

latius patet huius verbi potestas; valet enim idem quod ‚trado, addico':

Prop. I, 6, 26

me sine, quem semper voluit Fortuna iacere,
hanc animam extremae reddere nequitiae.

praeterea apud Catullum legitur: 50, 6

reddens mutua (sc. carmina) per iocum atque vinum.

i. e. quasi alternis canere.
‚reddere verba‘ dicit Ovidius art. III, 295

in vitio decor est, quaedam male reddere verba

h. e. efferre.

refugio: proprie significat ‚fugiendo me recipio‘:
Tib. I, 5, 72

. . . . crebro prospicit ac refugit

adde Ov. am. III, 2, 19

quid frustra refugis?

deinde transitivorum more usurpatur pro ‚recuso‘:
Ov. am. III, 6, 5

parvus eras, memini, nec te transire refugi

quo sensu Tibullo simplici verbo ‚fugiendi‘ uti placet: I, 9, 74

et senis amplexus culta puella fugit

translate eodem sensu:
Ov. her. 14, 50

castaque mandatum dextra refugit opus.

relinquo: proprie est ‚linquo retro‘:
Tib. I, 5, 54

quaerat et a saevis ossa relicta lupis

ibid. 58

saevit et iniusta lege relicta Venus.

II, 3, 64

tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus.

ibid. 5, 54

et cupidi ad ripas arma relicta dei.

adde (Tib. III, 6, 40)

. . . . ignoto sola relicta mari

(Tib. IV, 5, 12)

tum precor infidos, sancte, relinque focos.

Prop. I, 6, 8

et queritur nullos esse relicta deos.

Cat. 35, 3

novi relinquens
Comi moenia Lariumque litus

Ov. her. 7, 113

exul agor cineresque viri patriamque relinquo

translate eodem sensu:

(Tib. IV, 8, 7)

hic animum sensusque meos abducta relinquo

Ov. her. 4, 155

. . . . profugusque pudor suo signa reliquit

apud Tibullum simplex ‚linquo' usurpatum legimus: II, 6, 5

. . . ., tua qui ferus otia liquit

removeo: proprio sensu idem fere est quod ‚amoveo vel abduco':

Tib. II, 4, 6

. . . . io remove, saeva puella, faces.

adde Ov. rem. 723

si potes, et ceras remove sq.

translate eodem sensu:

Ov. her. 13, 49

di, precor, a nobis omen removete sinistrum

hoc sensu Tibullus simplex ‚pello' adhibet:

II, 1, 18

vos mala de nostris pellite limitibus

repello: proprie significat ‚retro pello':

(Tib. IV, 1, 54)

nam Ciconumque manus adversis reppulit armis

de instrumentis musicis:

Tib. I, 3, 24

quid mihi prosunt

illa tua totiens aera repulsa manu

I, 8, 22

. . . . ., si non aera repulsa sonent.

translate eodem sensu:

Ov. art. III, 491

iudice me fraus est concessa repellere fraudem

dicitur etiam pro ‚spernere, repudiare':

Prop. II, 4, 2

saepe roges aliquid, saepe repulsus eas

Ov. am. I, 8, 76

neve relentescat saepe repulsus amor.

respicio: proprie est ‚retro specto‘:

Tib. II, 5, 22

cum maestus ab alto
Ilion ardentes respiceretque deos.

adde Prop. II, 7, 10

respiciens udis prodita luminibus.

Ov. her. 17, 118

respiciens dominam, dum licet, usque meam.

translate:

Ov. her. 13, 143 sq.

ille ferens dominae mandata recentia secum
pugnabit caute respicietque domum.

retineo: 1) proprie est ‚retro teneo‘:

Tib. I, 1, 55

me retinent vinctum formosae vincla puellae

I, 2, 73

et te dum liceat teneris retinere lacertis

adde Prop. II, 9, 29

quid si longinquos retinerer miles ad Indos

Cat. 62, 22

conplexu matris retinentem avellere natam

Ov. her. 17, 99

. . . ., quamvis retinebat euntem

sumitur et pro simplici ‚teneo‘:

Prop. III, 29, 5

quorum alii faculas, alii retinere sagittas

ad hanc sententiam exprimendam Tibullus verbum ‚ferendi‘ usurpat:

I, 9, 42

ipse comes multa lumina nocte tuli!

2) translato eodemque sensu quem supra diximus h. e. ‚retro teneo‘:

Ov. rem. 291

si te causa potens domina retinebit in urbe

idem ponit pro ‚cohibeo vel coerceo‘:

ibid. 642

. . . ., erit lucro lingua retenta tuo.

denique est ‚servo vel custodio‘:

Cat. 64, 8

diva quibus retinens in summis urbibus arces

secubo: proprio sensu dicitur de iis qui ‚dormiunt seorsum‘:

Tib. I, 3, 26

. . . . , puro secubuisse toro?

adde Cat. 61, 104 sq.

a tuis teneris volet
secubare papillis

Ov. am. III, 9, 34

quid in vacuo secubuisse toro?

translato idem valet quod ‚seorsum vitam ago‘:

Prop. III, 25, 5

miles depositis annosus secubat armis

subdo: 1) proprie est ‚subpono, subicio‘:

Tib. I, 2, 90

post Veneris vinclis subdere colla senem

adde Prop. V, 11, 9 sq.

cum subdita nostrum
detraheret lecto fax inimica caput.

Ov. art. II, 732

. . . . admisso subdere calcar equo.

deinde participium usurpatur pro ‚alterius loco positus‘:

Prop. IV, 22, 34

nec solvit Danaas subdita cerva rates

est etiam ‚subiectus imperio alicuius‘:

(Tib. IV, 1, 67 sq.)

. . . . inferno Plutonis subdita regno
magna deum proles

Prop. I, 11, 3

et modo te Protei mirantem subdita regno

2) translate eodem sensu:

Ov. rem. 78

utraque tutelae subdita cura tuaest.

subicio: proprie est ‚suppono‘:

Tib. I, 5, 64

subicietque manus efficietque viam

adde Prop. I, 3, 15

subiecto leviter positam temptare lacerto

Ov. am. III, 7, 7

illa quidem nostro subiecit eburnea collo
bracchia sq.

translate significat «unterwerfen», ut nos dicimus:

Prop. I, 10, 27

at quo sis humilis magis et subiectus amori

Ov. her. 2, 111

quae tibi subieci latissima regna Lycurgi

sumitur et pro ‚suppeditare, subministrare':

Prop. I, 7, 20

nec tibi subiciet carmina serus Amor.

suffundo: proprio sensu dicitur a Tibullo de re, quae liquoris instar spargitur:

II, 1, 55

agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti

translato ab Ovidio: am. III, 3, 5

candida candorem roseo suffusa rubore
ante fuit sq.

suppono: proprie idem fere significat quod ‚subicio':

Tib. I, 6, 27 sq.

at ipse bibebam
sobria supposita pocula victor aqua.

ibid. I, 8, 33

huic tu candentes umero suppone lacertos

ibid. II, 1, 42

. . . . plaustro supposuisse rotam.

adde Prop. IV, 7, 69

vos decuit lasso supponere bracchia mento

Cat. 69, 2

. . ., velit tenerum supposuisse femur

Ov. her. 11, 40

. . . ., quae non medicamina nutrix
attulit audaci supposuitque manu.

translate significat idem quod ‚subicio, subigo':

Ov. her. 16, 120

credere vix equidem caelestia corpora possum
arbitrio formam supposuisse tuo.

sustineo: 1) proprie est ‚quasi sursum teneo‘:
Tib. II, 5, 20 sq.

. . . ., postquam ille parentem
dicitur et raptos sustinuisse lares.

adde (Tib. III, 3, 30)

nec quas terrarum sustinet orbis opes.

Ov. art. I, 47

. . . qui sustinet hamos

significat etiam ‚detineo‘:
Prop. IV, 2, 1 sq.

Orphea detinuisse feras et concita dicunt
flumina Threicia sustinuisse lyra.

quo sensu apud Tibullum ‚detineo‘ legitur: I, 8, 20

cantus et iratae detinet anguis iter

2) translate est ‚patior vel tolero‘:
Prop. III, 25, 18

. . . inmerita sustinet aure minas.

Ov. her. 8, 54

et tamen aspectus sustinet ille meos.

quod cum Tibullus exprimit simplici verbo ‚ferendi‘ utitur: (vide perfero pag. 39 sq.)
significat etiam «zurückhalten», ut nos dicimus:
Ov. her. 1, 114

extremum fati sustinet ille diem

cf. Tibullum: I, 3, 18

Saturnive sacram me tenuisse diem.

transilio: proprie significat ‚saliendo transeo‘:
Tib. II, 5, 90

. . . ., flammas transilietque sacras.

adde Prop. III, 20, 12

ferratam Danaes transiliamque domum

translate eodem sensu:
Prop. III, 18b, 38

et terram rumor transilit et maria.

Caput II.

Quoniam de eis verbis conpositis egi, quorum Tibullus propria tantum significatione utitur, venio nunc ad ea tractanda, quorum non usurpat nisi translatam significationem.

abeo: 1) proprie significat exitum ab aliqua re vel persona, hinc est ‚exeo, discedo':

Cat. 14, 21 sq.

vos hinc interea (valete) abite
illuc unde malum pedem attulistis

Prop. I, 5, 20

discere et exclusum quid sit abire domo

Ov. her. 1, 60

ille mihi de te multa rogatus abit.

quod cum Tibullus exprimit utitur verbo ‚discedendi':

I, 3, 21

audeat invito nequis discedere Amore

I, 5, 41

tum me discedens devotum femina dixit

II, 1, 11 sq.

discedat ab aris,
cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.

II, 4, 49

et ‚bene' discedens dicet ‚placideque quiescas'

2) translate a Tibullo non dicitur nisi de rebus, sed tamen ita, ut idem sit quod ‚evanesco':

I, 6, 13

tum sucos herbasque dedi, quis livor abiret

II, 1, 43

tum victus abiere feri . . . .

adde Cat. 63, 38

abit in quiete molli rabidus furor animi

Ov. am. I, 7, 2

dum furor omnis abit . . . .

de tempore ita adhibetur, ut significet ‚praetereo‘:

Cat. 61, 94

sed moraris, abit dies

Prop. III, 16, 33

tot iam abiere dies . . .

Ov. her. 15, 208

si tam securum tempus abibit iners.

quo sensu Tibullus variis utitur verbis: modo verbo ‚praetereundi‘:

I, 4, 34

. . . . stultos praeteriise dies

modo ‚transeundi‘:

ibid. 27

. . . . transiet aetas.

huc spectat etiam illud eleganter dictum:

I, 8, 47 sq.

at tu, dum primi floret tibi temporis aetas,
utere: non tardo labitur illa pede.

praeterea ponitur pro ‚abstineo aliqua re vel persona‘:

Prop. I, 4, 2

. . . . domina cogis abire mea?

ibid. I, 13, 8

. . . . primo lapsus abire gradu.

apud Tibullum hoc ipsum verbum ‚abstinendi‘ invenimus: I, 2, 57

tu tamen abstineas aliis . . . .

adfero: 1) proprie est ‚ab uno loco in alium fero, adporto‘:

(Tib. IV, 7, 3 sq.)

exorata meis illum Cytherea camenis
attulit in nostrum deposuitque sinum.

Cat. 13, 3

si tecum attuleris bonam atque magnam
cenam sq.

Prop. V, 5, 53

aurum spectato, non quae manus adferat aurum.

Ov. her. 12, 14

. . . . audacis attuleratque viros

hoc sensu Tibullus simplici verbo utitur et ‚ferendi‘:

I, 2, 36

neu prope fulgenti lumina ferte face.

I, 10, 23

atque aliquis voti compos liba ipse ferebat

II, 5, 115 sq.

. . . ., cum praemia belli
ante suos currus oppida victa feret.

et ‚portandi‘:

I, 3, 93 sq.

hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

II, 6, 8

ipse levem galea qui sibi portet aquam.

hinc ‚afferre pedem‘ est ‚se conferre‘:

Cat. 14, 21 sq.

vos hinc interea (valete) abite
illuc unde malum pedem attulistis.

2) translate a Tibullo ponitur non nisi cum sermo est de motibus animi, et dicitur tam in bonam quam in malam partem:

I, 7, 41

Bacchus et adflictis requiem mortalibus adfert

II, 4, 36

quale bonum multis attulit ille malis!

adde Cat. 68, 91 sq.

quaene etiam nostro letum miserabile fratri
attulit.

Prop. I, 6, 24

et tibi non umquam nostros puer iste labores
adferat . . . .

Ov. her. 16, 21

an, quia vim nobis Neptunius attulit heros.

praeterea ‚nuntius adfertur‘ i. e. nuntiatur, dicitur a Catullo: 84, 10

cum subito adfertur nuntius horribilis.

adfigo: 1) proprie est ‚aliquid alicui rei figendo adpono‘:

Prop. IV, 3, 27

hic erat adfixis viridis spelunca lapillis

Ov. her. 9, 89

non tibi Threïciis adfixa penatibus ora

quam sententiam Tibullus cum ecfert dicit ‚adiungo‘:

I, 7, 33

hic docuit teneram palis adiungere vitem.

2) translate vero a Tibullo solo adhibetur idem significans:

I, 3, 87

at circa gravibus pensis adfixa puella

I, 6, 61

haec foribusque manet noctu me adfixa sq.

adflo: proprio sensu exprimit idem quod simplex ‚spiro ad aliquam personam vel locum aliquem‘:

Prop. III, 29, 17

adflabunt tibi non Arabum de gramine odores

hinc translate eodem fere sensu dicitur a Tibullo:

II, 1, 80

felix, cui placidus leniter adflat Amor.

II, 4, 57

. . ., ubi indomitis gregibus Venus adflat amores

adde Ov. rem. 434

adflarant tepidae pectora vestra faces.

adspiro: proprie significat ‚spiritum emitto ad aliquem locum‘:

Cat. 68, 64

lenius adspirans aura secunda venit

translate ponitur a Tibullo pro ‚faveo alicui‘:

II, 1, 35

huc ades adspiraque mihi . . . .

II, 3, 71

tum, quibus adspirabat Amor, ...

committo: 1) proprio sensu idem valet quod ‚coniungo‘:

Ov. her. II, 31

. . . . commissaque dextera dextrae

am. I, 4, 43

nec femori committe femur . . .

apud Tibullum ‚consero‘ invenimus:

I, 8, 26

oscula, sed femori conseruisse femur

‚committere aciem' dicitur de ituris in pugnam:

Prop. V, 4, 59

commissas acies ego possum solvere . . .

ab eodem pro ‚conparo'; nos: «zum Vergleich zusammenstellen:»

Prop. II, 3, 21

et sua cum antiquae committit scripta Corinnae

2) translate variis inservit significationibus, quarum apud Tibullum una haec invenitur: ‚trado, concredo':

I, 7, 31

primus inexpertae commisit semina terrae

adde (Tib. IV, 1, 196)

vel parvum Aetnaeae corpus committere flammae.

Cat. 55, 16

. . ., committe, crede luci.

Prop. I, 4, 19

nec tibi me post haec committet Cynthia . . .

Ov. am. I, 12, 21

his ego commisi nostros insanus amores

praeterea ponitur pro ‚facio, conficio':

Prop. 5, 7, 19

saepe Venus trivio commissa est . . .

cf. Tibullum: I, 1, 73

nunc levis est tractanda Venus . . .

hinc saepissime dicitur pro ‚pecco, patro':

(Tib. IV, 12, 3)

si quicquam tota commisi stulta inventa

Prop. III, 18b, 37

credam ego narranti (noli committere) famae

Ov. her. 14, 59

si manus haec aliquam posset committere caedem

Tibullus autem usurpat et simplex ‚pecco':

I, 6, 16

. . . ., peccet ut illa nihil

ibid. 71

et si quid peccasse putet, ...

I, 9, 23

nec tibi celandi spes sit peccare paranti

II, 4, 5

et seu quid merui seu nil peccavimus, urit
(Amor)

et ‚mereo‘:

I, 2, 83

non ego, si merui, dubitem procumbere templis

I, 10, 5

an nihil ille miser meruit, ...

semel ‚admitto‘:

I, 6, 56

si tamen admittas, ...

cogo: 1) proprie idem fere significat quod verbum ‚conpellendi‘:

Prop. IV, 5, 27 sq.

unde coactis
cornibus in plenum menstrua luna redit

Ov. am. II, 2, 33

cum bene vir traxit vultum rugasque coegit

hinc sumitur pro ‚congrego, in unum colligo‘, si de contionibus sermo est:

Prop. V, 1, 13

bucina cogebat priscos ad verba Quirites

2) translate ita usurpatur, ut significet ‚conpello aliquem ad faciendum aliquid‘:

Tib. 2, 3, 59 sq.

quem saepe coegit
barbara gypsatos ferre catasta pedes.

ibid. II, 6, 18

. . . ., tu me mihi dira precari
cogis . . . .

adde (Tib. III, 3, 10)

nudus Lethaea cogerer ire rate?

Cat. 64, 216

gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus

Prop. IV, 9, 22

cogor et exemplis te superare tuis.

Ov. her. 6, 97

. . . . ., ita te iuga ferre coegit.

concino: 1) proprie est ‚simul cano‘:
Cat. 61, 12 sq.

nuptialia concinens
voce carmina tinnula

Ov. her. 7, 2

. . . . udis abiectus in herbis
ad vada Maeandri concinit albus olor

2) translate transitivorum more idem exprimit quod ‚celebro, laudo‘:
Tib. II, 5, 10

victori laudes concinuisse Jovi

ibid. 87 sq.

at madidus Baccho sua festa Palilia pastor
concinet . . . . .

dicitur etiam pro ‚praedico, nuntio‘:
Prop. III, 28b, 38

nigraque funestum concinit omen avis.

Ov. am. III, 12, 2

Quis fuit ille dies, quo tristia semper amanti
omina non albae concinuistis aves?

Tibullus autem dicit ‚praecino eventus‘:
I, 8, 4

praecinit eventus nec mihi cantus avis.

confero: 1) proprio sensu idem est quod ‚in unum locum fero, congero‘, quo sensu positum non inveni; ‚conferre‘ autem ‚sese‘, ita, ut idem sit quod ‚fugio ad aliquem‘ Catullus dicit: 68, 132

lux mea se nostrum contulit in gremium

Tibullus simplici verbo ‚fugiendi‘ utitur: II, 6, 33

illius ad tumulum fugiam . . . .

2) translate variis usurpatur significationibus; apud Tibullum autem una tantum extat significatio qua exprimit ‚communico consilia‘, nos « austauschen »:
I, 2, 21

. . . . nutus conferre loquaces

apud reliquos poetas saepissime dicitur pro ‚conparo‘
Prop. I, 4, 9

. . ., si levibus fuerit conlata figuris

ibid. I, 5, 7

non est illa vagis similis, conlata, puellis

Cat. 64, 343

non illi quisquam bello se conferet heros

Ov. am. I, 14, 33

illis contulerim . . . . .

dicitur etiam pro ‚tribuo, praesto‘:

Prop. II, 3, 25

haec tibi contulerunt caelestia munera divi

quod cum Tibullus exprimit simplex ponit ‚fero‘

II, 1, 12

cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.

evenio: hoc verbum non usurpatur nisi translate et variis inservit significationibus; apud Tibullum autem una haec extat significatio: ‚eventum habere, eventu conprobari‘:

I, 5, 57

evenient: dat signa deus: sunt numina amanti

I, 7, 5

evenere . . . .

II, 1, 25

eventura precor . . . . .

II, 5, 11

tu procul eventura vides . . . . .

adde (Tib. III, 4, 47 sq.)

aevique futuri
eventura pater posse videre dedit.

frequenter sumitur pro ‚contingo‘:

Prop. IV, 8, 20

hostibus eveniat lenta puella meis!

Ov. her. 15, 113

hostibus eveniant convivia talia nostris

am. III, 11, 16

eveniat nostris hostibus ille pudor!

apud Tibullum ‚contingo‘ inveni:

I, 1, 49

hoc mihi contingat . . . . .

I, 3, 33

at mihi contingat patrios celebrare penates

I, 4, 1

Sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape

huc etiam illud a Tibullo dictum spectat: II, 6, 1 sq.

Castra Macer sequitur: tenero quid fiet Amori?

ponitur etiam pro ‚recido in aliquem‘:

Ov. her. 19, 127 sq.

inque caput nostrum dominae periuria, quaeso,
eveniant . . . .

hoc sensu Tibullus dicit ‚esse cum dativo‘: I, 2, 11 sq.

et mala siqua tibi dixit dementia nostra,
ignoscas: capiti sint precor illa meo.

et ‚cado‘: I, 6, 85

haec aliis maledicta cadant . . . . .

praeter has significationes apud Ovidium legimus:

her. 18, 83

quid tamen evenit, cur sis metuentior undae
contemptumque prius nunc vereare fretum?

h. e. qui factum est ut sqq.

cf. Tibullum: II, 4, 37 sq.

haec denique causa
fecit ut infamis sic deus esset Amor.

exto: 1) propie est ‚emineo‘:

Cat. 64, 18

. . . . . extantes e gurgite . . .

Ov. her. 13, 101

sive latet Phoebus seu terris altior extat

2) translate a Tibullo quidem non usurpatur nisi ita, ut significet idem quod ‚supersum‘:

II, 1, 2

ritus ut a prisco traditus extat avo.

adde Prop. III, 30, 31

quod si nemo extat qui vicerit alitis arma

valet etiam idem quod ‚eluceo‘:

Ov. her. 15, 4

et plus quam vellem, iam meus extat amor?

increpo: 1) proprio sensu est ,sonum edo':
Prop. V, 7, 11 sq.

at illi
pollicibus fragiles increpuere manus.

latiore vero significatione est ,percutiendo sonitus edere':
Ov. her. 3, 118

Threïciam digitis increpuisse lyram

quo sensu apud Tibullum ,inpello' legimus: II, 5, 3

nunc te vocales inpellere pollice chordas

saepissime autem

2) translate hoc verbum usurpatur variisque inservit significationibus, quarum apud Tibullum quidem una tantum nobis occurrit et idem exprimit quod ,hortor': I, 1, 30

aut stimulo tardos increpuisse boves

praeterea a Propertio dicitur pro ,insono'; nos: «erschallen lassen».
Prop. I, 17, 6

adspice, quam saevas increpat aura minas.

ab eodem ,de querelis':
ib. IV, 10, 10

increpet absumptum nec sua mater Ityn.

ib. V, 11, 59 sq.

ille sua nata dignam vixisse sororem
increpat . . . .

nonnumquam idem valet ac ,reprehendo vel incuso':
Ov. her. 1, 82 sq.

cogit et inmensas increpat usque moras.
increpet usque licet!

cf. Tibullum: I, 1, 57 sq.

tecum
dum modo sim, quaeso segnis inersque vocer.

occupo: 1) proprie est ,capio locum vel rem':
Ov. art. II, 588

. . . . . Mars Threcen occupat, illa Paphum.

Tibullus autem simplici verbo ,capiendi' utitur:
I, 2, 68

ponat et in capto Martia castra solo

saepius 2) translata huius verbi significatio adhibita legitur; apud Tibullum vero una extat eaque proxime ad illam accedit, de qua modo diximus:

I, 2, 2

occupet ut fessi lumina victa sopor

I, 10, 39 sq.

quem prole parata
occupat in parva pigra senecta casa!

ibid. 49 sq.

at tristia duri
militis in tenebris occupat arma situs.

adde (Tib. IV, 4, 5)

effice, ne macies pallentes occupet artus

praeterea significat ‚operam pono in aliqua re': Cat. 15, 8

. . . qui in platea modo huc modo illuc
in re praetereunt sua occupati

quo sensu Tibullus ‚operor' adhibet:

II, 1, 9

omnia sint operata deo . . . .

remitto: 1) proprie est ‚retro mitto':

Cat. 12, 11

expecta, aut mihi linteum remitte

Ov. art. I, 469

si non accipiet scriptum inlectumque remittet.

de missu telorum:

Prop. IV, 9, 54

Parthorum astutae tela remissa fugae

Ov. art. II, 397

laesa Venus iusta arma movet telumque remittit

2) translate eodem sensu:

Prop. IV, 12, 21

nam quocumque die salvum te fata remittent

Ov. her. 1, 64

. . . . incerta est fama remissa Pylo.

a Tibullo dicitur pro ‚relaxo aliquid':

I, 3, 88

paullatim somno fessa remittat opus.

II, 4, 4

et numquam misero vincla remittit Amor

denique pro ‚condono‘:

Prop. III, 34, 21

una tamen causa est, qua crimina tanta remitto

subeo: 1) proprio sensu significat idem quod ‚succedo‘:

Cat. 61, 168

rasilemque subi forem.

est etiam ‚furtim ingredior‘:

Prop. I, 9, 26

acrius illa subit . . . .

idem ponit pro ‚ascendo‘:

V, 4, 27

dumque subit primo Capitolia nubila fumo

habet obscoenam sententiam apud eundem:

IV, 19, 14

quae voluit liquido tota subire deo.

2) translato sensu saepissime dicitur pro ‚rem molestam, laboriosam suscipio‘:

Tib. I, 3, 41

illo non validus subiit iuga tempore taurus

ibid. I, 4, 47

nec te paeniteat duros subiisse labores

adde Prop. II, 9, 52

mortem ego non fugiam morte subire tua.

Ov. am. I, 7, 28

debita sacrilegae vincla subite manus!

cum adverbio ‚furtim‘ significat «sich heranschleichen», ut nos dicimus:

Ov. her. 18, 56

. . . ., subit furtim lumina fessa sopor.

apud Tibullum hoc sensu adhibitum invenitnr ‚clam venio‘:

I, 10, 33 sq.

quis furor est atram bellis arcessere mortem?
inminet et tacito clam venit illa pede.

denique est ‚in memoriam redeo‘:

Prop. I, 11, 5

nostri cura subit memores a ducere noctes?

Ov. her. 17, 62

et subeant animo Latmia saxa tuo.

cf. Tibullum: I, 2, 13 sq.

te meminisse decet, quae plurima voce peregi
supplice, cum posti florida serta darem.

Caput III.

Restat ut de eis verbis conpositis disseram, quibus Tibullus et proprie et translate utitur.

admitto: 1) proprie est ‚inmitto', ita ut idem fere sit quod simplex ‚mitto iuxta':

Tib. I, 4, 43 sq.

quamvis praetexens picea ferrugine caelum
venturam admittat*) nimbifer eurus aquam.

adde Ov. am. II, 11, 56

Lucifer admisso tempora portet equo.

art. I, 40

haec erit admissa meta premenda rota.

saepius autem dicitur pro ‚recipio' i. e. ‚mitto ad me':

Prop. III, 17, 12

nunc decimo admittor vix ego quoque die.

Ov. am. I, 6, 72

lente nec admisso turpis amante, vale!

art. III, 605

cum melius foribus possis, admitte fenestra

---

*) sic legitur in cod. V m. 2; ceterae lectiones hae sunt: ‚amiciat' habet cod. A, quod difficillime est intellectu; ‚annutiat' habent codd. G V, quod mendum librarii esse facile perspicitur; itaque manu secunda eiusdem codicis G scriptum est ‚annutet'; sed quoniam omnes hae lectiones sensum idoneum non praebent, a plurimis editoribus recte reiectae sunt. Jam illud ‚admittat' mihi quidem maxime probatur; significat enim id quod expectamus: «zuführen», ita ut sensus verborum hic sit: quamvis . . . . eurus pluvius adducat inpendentem aquam. Baehrensius scripsit ‚indicat', quod in nullo cod. legitur.

quam sententiam Tibullus intransitive exprimit; dicit enim ‚ianua vel domus patet‘:

I, 2, 9

ianua, iam pateas uni mihi

I, 4, 78

. . . . cunctis ianua nostra patet.

I, 9, 58

et pateat cupidis semper aperta domus

idem fere exprimit quod legimus:

II, 4, 19

ad dominam faciles aditus per carmina quaero

hinc ita usurpatur, ut qui receptus sit particeps fiat alicuius rei:

Prop. III, 34, 16

te dominum admitto rebus, amice, meis.

2) translato sensu dicitur de eo, qui scelus in animum quasi recipit, ut idem sit quod ‚pecco‘:

Tib. I, 6, 56

si tamen admittas, sit precor illa levis.

adde Prop. I, 15, 38

nec tremis admissae conscia nequitiae?

Ov. her. 11, 107

quid puer admisit tam paucis editus horis?

adsum: 1) proprie est ‚iuxta vel prope sum‘:

Tib. I, 1, 37

adsitis, divi, ...

I, 3, 90

sed videar caelo missus adesse tibi.

I, 5, 21

. . . . frugumque aderit mea Delia custos

ibid. 47

haec nocuere mihi, quod adest huic dives amator

I, 7, 49; II, 1, 35

huc ades

II, 2, 5

ipse suos genius adsit visurus honores

adde (Tib. III, 6, 1)

Candide Liber, ades . . .

(Tib. IV, 1, 130 sq.)

Juppiter ipse levi vectus per inania curru
adfuit . . . .

Cat. 61, 77

virgo ades . . . . .

Prop. II, 9, 15

cum tibi nec Peleus aderat nec caerula mater

Ov. her. 4, 169

sic tibi secretis agilis dea saltibus adsit

2) translate dicitur eodem sensu de rebus quibuslibet:

Tib. I, 4, 13

hic, quia fortis adest audacia, cepit . . . .

II, 3, 45 sq.

lentus ut intra
neglegat hibernas piscis adesse minas.

adde (Tib. IV, 5, 6)

si tibi de nobis mutuus ignis adest.

Cat. 64, 336

qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.

Prop. IV, 15, 23

. . . quaecumque aderant in corpore vires

Ov. her. 16, 145

felices, quibus usus adest! . . . .

item de tempore:

Cat. 62, 1

Vesper adest . . . . .

Prop. V, 6, 53

tempus adest, committe rates . . . . . .

Ov. art. I, 607

conloquii iam tempus adest . . . . . .

Tibullus autem simplex ‚esse' adhibet:

I, 4, 79

tempus erit, ...

praeterea nonnumquam usurpatur pro ‚faveo alicui':

(Tib. IV, 6, 20)

hic idem votis iam vetus adsit amor.

Prop. I, 14, 23 sq.

quae mihi dum placata aderit, non ulla verebor
regna vel Alcinoi munera despicere.

Ov. her. 6, 151 sq.

quodsi quid ab alto
iustus adest votis Juppiter ipse meis

quod exprimit Tibullus pluribus verbis usus et verbo ‚favendi‘:

I, 2, 17

illa favet, ...

I, 4, 72

. . . ., miseris fletibus illa favet.

II, 5, 1

Phoebe, fave . . . . . .

et ‚adspirandi‘:

II, 1, 35

huc ades adspiraque mihi, ...

II, 3, 71

tum, quibus adspirabat Amor, ...

et ‚adiuvandi‘:

I, 2, 16

. . . . ., fortes adiuvat ipsa Venus.

conpono: 1) proprie suum locum habet, cum agitur de rebus quae ita coniunguntur, ut unum quasi corpus efficiatur:

Tib. I, 1, 39 sq.

fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
pocula, de facili conposuitque luto.

ibid. 77 sq.

. . . . ego conposito securos acervo
despiciam dites despiciamque famem

I, 5, 8

per Venerem quaeso conpositumque caput.

II, 1, 39 sq.

illi conpositis primum docuere tigillis
exiguam viridi fronde operire domum

adde (Tib. IV, 6, 9)

sic bene conpones . . . . .

Prop. I, 3, 33

conpositos levibus radiis patefecit ocellos.

Ov. her. 18, 134 sq.

has certe pluresque canunt, Neptune, poetae
molle latus lateri conposuisse tuo.

praeterea cum de litteris sermo est dicitur pro ‚facio, scribo‘:
(Tib. IV, 1, 16 sq.)

. . . ., ut tibi possim
inde alios aliosque memor conponere versus.

Prop. I, 9, 13

i quaeso et tristis istos conpone libellos

Ov. am. II, 1, 1 sq.

Hoc quoque conposui Pelignis natus aquosis
ille ego nequitiae Naso poeta meae.

nonnumquam idem est quod ‚sepelio‘:
(Tib. III, 2, 26)

sic ego conponi versus in ossa velim.

Prop. III, 24 b, 35 sq.

tu mea conpones et dices ‚ossa, Properti,
haec tua sunt . . . . .‘

Cat. 68, 97, sq.

quem nunc tam longe non inter nota sepulcra
nec prope cognatos conpositum cineres

cf. Tibullum: I, 3, 55

hic iacet inmiti consumptus morte Tibullus

usurpatur etiam de rebus, quas quis sic conponit, ut fiant pulchriores et magis ornatae, quam antea fuerunt:
Prop. I, 15, 5

et potes hesternos manibus conponere crines

Ov. her. 12, 155 sq.

ire animus mediae suadebat in agmina turbae
sertaque conpositis demere rapta comis.

Tibullus autem hoc sensu dicit ‚dispono‘: I, 8, 10

saepeque mutatas disposuisse comas

‚fingo‘: I, 2, 92

et manibus canas fingere velle comas.

etiam illa eleganter dicta sunt: I, 4, 4

. . . . non tibi culta comast

I, 10, 62

sit satis ornatus dissoluisse comae

2) translate a Tibullo non dicitur nisi ita, ut significet idem quod ‚parare, conciliare‘:
I, 2, 22 . . . . :

blandaque conpositis abdere verba notis.

ibid. 53

haec mihi conposuit cantus quis fallere posses

ibid. 91

et sibi blanditias tremula conponere voce

I, 6, 3 sq.

an gloria magnast
insidias homini conposuisse deum?

adde (Tib. III, 6, 35)

nec bene mendaci risus conponitur ore

(Tib. IV, 1, 100)

tum tibi non desit faciem conponere pugnae

Prop. II, 9, 31

sed nobis facile est verba et conponere fraudes

Ov. am. III, 11, 24

verbaque conpositis dissimulata notis?

valet etiam idem quod ‚conparo, confero‘:

Cat. 68, 141

at, quia nec divis homines conponier aequumst

praeterea ‚conponere laudes‘ legitur: (Tib. IV, 1, 35)

convenientque tuas cupidi conponere laudes

Tibullo autem placet dicere ‚laudes canere‘:

I, 9, 47

quin etiam attonita laudes tibi mente canebam

pro ‚constituo‘ usurpatum invenimus:

Prop. V, 9, 73 sq.

hunc, quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
sic Sanctum Tatiae conposuere Cures.

contingo: 1) proprie idem significat quod ‚tango‘:

Tib. I, 7, 15

. . . . . aetherio contingens vertice nubes

adde Prop. I, 8b, 43

nunc mihi summa licet contingere sidera plantis

Cat. 62, 52

iam iam contingit summum radice flagellum

Ov. her. 17, 206

cum tua contigero litora, ...

2) translate ‚mihi contingit‘ saepissime dicitur et significat idem quod nos dicimus: «zu teil werden»: Tib. I, 1, 49

hoc mihi contingat . . . .

I, 3, 33

at mihi contingat patrios celebrare penates

I, 4, 1

Sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape

adde Prop. III, 13, 13

haec ubi contigerint, ...

Ov. her. 11, 91 sq.

tunc demum pectora plangi
contigit inque meas unguibus ire genas.

Pertinet nonnumquam ad animi motus:

Prop. I, 1, 2

contactum nullis ante cupidinibus.

Ov. her. 4, 49 sq.

aut quas semideae Dryades Faunique bicornes
numine contactas attonuere suo.

‚aures contingere' i. e. pervenire ad notitiam alicuius, legimus:

Ov. her. 3, 59

quod scelus ut pavidas miserae mihi contigit aures

detraho: 1) proprie est ‚traho deorsum, deripio':

Tib. I, 5, 31 sq.

cui dulcia poma
Delia selectis detrahat arboribus

ibid. 66

vinclaque de niveo detrahet ipse pede.

adde Prop. V, 11, 9 sq.

cum subdita nostrum
detraheret lecto fax inimica caput.

Ov. am. I, 6, 67

. . ., non laetis detracta corona capillis

2) translate eodem sensu:

Tib. I, 9, 13 sq.

. . . . pulvisque decorem
detrahet . . . .

II, 1, 73

hic iuveni detraxit opes, ...

adde Prop. III, 33, 13

an, quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
Juppiter . . . . .

Ov. her. 7, 104

invidiam noxae detrahit ille meae.

dicitur etiam pro ‚inminuo,:

Prop. IV, 1, 21

at mihi quod vivo detraxerit invida turba

ibid. IV, 11, 35

tres ubi Pompeio detraxit harena triumphos!

dispono: 1) proprie dicitur de eis rebus quas quis diversis locis ponit, ita tamen, ut praevaleat notio ordinandi:

Tib. I, 8, 10

saepeque mutatas disposuisse comas

I, 9, 67

tune putas illam pro te disponere crines

II, 3, 53 sq.

quas femina Coa
texuit, auratas disposuitque vias

adde (Tib. IV, 1, 152)

et quinque in partes toto disponitur orbe.

Prop. IV, 5, 9

corpora disponens mentem non vidit in arte.

Ov. am. I, 14, 35

quid male dispositos quereris periisse capillos?

2) translate eodem sensu:

Tib. I, 9, 64

aut operum varias disposuisse vices.

significat etiam ‚carmine celebro‘:

Prop. V, 1, 57

moenia namque pio conor disponere versu

Ov. am. III, 7, 64

quos ego non finxi disposuique modos!

quo sensu Tibullus simplici verbo ‚canendi‘ utitur:

II, 1, 37

rura cano rurisque deos . . . . .

II, 5, 111

usque cano Nemesin . . . . .

praetereo: 1) proprie significat ‚praetergredior‘ et dicitur intransitivorum et transitivorum more; apud Tibullum autem extat prior tantum usus:

I, 1, 28

arboris ad rivos praetereuntis aquae.

II, 5, 120

et plaudat curru praetereunte pater.

adde Cat. 15, 8

. . . . qui in platea modo huc modo illuc
in re praetereunt sua occupati

Ov. am. I, 12, 14

vosque rotae frangat praetereuntis onus.

transitivorum more est ‚transgredior‘:

(Tib. IV, 1, 69)

praeteriitque cita sirenum litora puppi.

Ov. am. I, 2, 44

tunc quoque praeteriens vulnera multa dabis.

quo ipso verbo Tibullus utitur:

II, 1, 75

hoc duce custodes furtim transgressa iacentes

2) translate dicitur et de tempore:

Tib. I, 4, 33 sq.

vidi iam iuvenem, premeret cum serior aetas,
maerentem stultos praeteriisse dies.

adde Prop. III, 14, 9

quanta ego praeterita collegi gaudia nocte

Ov. art. III, 64

nec quae praeteriit, hora redire potest.

et de aliis rebus ad similitudinem temporis:

Prop. I, 13, 27

nec tibi praeteritos passa est succedere fastus

Ov. her. 5, 44

praeterito magis est iste pudendus amor.

dicitur etiam de mortuis:

Prop. III, 13 c, 52

fas est praeteritos semper amare viros.

praeterea ‚dicendo aliquid omitto‘:

Ov. am. III, 6, 45

nec te praetereo, ...

ab eodem hoc verbum praetereundi ponitur pro ‚me fugit‘:

art. I, 75

nec te praetereat Veneri ploratus Adonis

significat etiam idem quod ‚supero':

Cat. 4, 3 sq.

neque ullius natantis impetum trabis
nequisse praeterire

redeo: 1) proprie idem fere est quod ‚revenio vel revertor':

Tib. II, 6, 13 et 14

iuravi quotiens rediturum ad limina numquam!
cum bene iuravi, pes tamen ipse redit.

ibid. 45 sq.

lena necat miserum Phryne furtimque tabellas
occulto portans itque reditque sinu.

adde Prop. III, 25, 20

. . . . ., et invitis ipse redit pedibus

Cat. 3, 12

illuc, unde negant redire quemquam.

Ov. her. 18, 178

cum praeda rediit protinus ille sua.

de fluminibus:

Prop. IV, 19, 6

fluminaque ad fontis sint reditura caput

2) translate eodem sensu:

Tib. II, 3, 74

. . . . si fas est, mos precor ille redi.

II, 5, 37

cum qua fecundi redierunt munera ruris

adde Prop. II, 5, 10

si dolor afuerit, crede, redibit amor.

Ov. her. 13, 29

ut rediit animus, pariter rediere dolores.

dicitur etiam de tempore:

Prop. III, 15, 24

nox tibi longa venit, nec reditura dies.

Ov. art. III, 64

nec quae praeteriit, hora redire potest.

quo sensu apud Tibullum ‚remeo' legenti occurrit:

I, 4, 28

quam cito non segnis stat remeatque dies!

denique significat ‚ad propositum aliquod post digressionem factam reverti‘:

Prop. IV, 1, 39

carminis interea nostri redeamus in orbem.

refero: 1) proprio sensu idem valet ac ‚retro fero vel reporto‘:

Tib. I, 1, 31 sq.

non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
desertam oblita matre referre domum.

ibid. I, 1, 65 sq.

illo non iuvenis poterit de funere quisquam
lumina, non virgo, sicca referre domum.

ibid. I, 2, 48

iam iubet adspersas lacte referre pedem.

I, 7, 61 sq.

te canit agricola, e magna cum venerit urbe
serus inoffensum rettuleritque pedem.

I, 8, 46

et faciem dempta pelle referre novam.

I, 9, 52

et pretium plena grande referre manu.

adde Prop. IV, 5, 48

. . . ., Crassi signa referte domum.

Cat. 10, 11

cur quisquam caput unctius referret

‚manum refero‘ legitur apud Ovidium, nos «zurückziehen»:

her. 10, 11

. . . . referoque manus . . . . .

multo vero frequentius

2) translate usurpatur; a Tibullo autem non dicitur nisi ita, ut exprimat idem quod ‚narro vel dico‘:

I, 3, 12

. . . ., illi
rettulit e trinis omina certa puer.

I, 4, 65

quem referent musae, ...

I, 7, 17

quid referam, ...

I, 10, 44

temporis et prisci facta referre senem.

II, 4, 17

nec refero solisque vias . . . . .

adde (Tib. III, 1, 19 sq.)

illa mihi referet, si nostri mutua curast
an minor, an toto pectore deciderim.

Prop. I, 16, 16

arguta referens carmina blanditia.

Ov. her. 9, 143

sed quid ego haec refero? . . . .

deinde significat ‚memoria repeto‘:

Ov. am. II, 8, 17 sq.

at quanto, si forte refers, praesentior ipse
per Veneris feci numina magna fidem!

Ov. rem. 308

haec refer, hinc odii semina quaere tui.

cf. Tibullum: I, 2, 13

te meminisse decet, quae plurima voce peregi
supplice, ...

‚refero aliquid ad aliquid‘ ab eodem adhibetur:

her. 15, 138

ad vultus referens singula verba tuos

‚refero animum ad aliquid‘, nos «den Geist wieder auf etwas richten»:

art. III, 499

sed libet a parvis animum ad maiora referre

subsum: 1) proprie est ‚sub aliqua re sum‘:

Tib. II, 5, 27

lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae

2) translate eodem sensu:

Tib. I, 9, 18

saepe solent auro multa subesse mala.

adde Prop. V, 6, 51 sq.

frangit et attollit vires in milite causa;
quae nisi iusta subest, excutit arma pudor.

Ov. art. II, 436

et, si nulla subest aemula, languet amor.

deinde, si de tempore sermo est, significat ‚insto vel inmineo‘:
Ov. art. I, 405

sive dies suberit natalis, sive Kalendae

quam notionem Tibullus simplici verbo ‚veniendi‘ exprimit:
II, 2, 1

Dicamus bona verba (venit natalis) ad aras.

transeo: 1) proprie significat ‚ab uno ad alium locum eo‘:
Tib. I, 5, 73

et simulat transire domum, ...

deinde transitivorum more ponitur pro ‚praetereo‘:
Prop. II, 7, 9

aut ego transirem tua limina clausa maritus

est etiam «hindurchgehen», ut nos dicimus:
Cat. 68, 60

per medium densi transit iter populi

quod Tibullus simplici verbo ‚eundi‘ exprimit, addita praepositione ‚per‘:
I, 3, 1

Ibitis Aegaeas sine me, Messala, per undas

I, 4, 45

vel si caeruleas puppi volet ire per undas

2) translate de tempore:
Tib. I, 4, 27

. . . . . transiet aetas.

adde Prop. IV, 10, 5

transeat hic sine nube dies . . . . .

denique transitive significans ‚excedo‘:
Ov. her. 16, 67

sed si iam vellem fines transire pudoris.

Hoc loco facere non possum, quin Guilelmo Studemund, studiorum meorum fautori humanissimo, qui et in scholis Argentorati habitis multa ad quaestiones meas pertinentia tetigit et re et consilio semper mihi praesto aderat, gratias agam amplissimas.

TYPIS EXPRESSERUNT R. SCHULTZ ET SOCII.